vir eſſe ſuſpectus de incontinentia, & tunc ait, illum peccare irritando, at uxorem debere obedire.

17 At mihi probabilius eſt poſſe virum irritare votum caſtitatis de ſua licentia ab uxore factum: ſicut diximus de aliis votis. Ducor, quia licet vir non ſit dominus materiæ illius promiſſæ, ſed in illa ſit æqualis uxoris, at tanquam caput, eſt dominus actus illius liberi, quo uxor tempore ſubjectionis ſe obligavit voto illo: & quamvis ex conſenſu viri ſit Deo conſecratus, id conferet, ut vir irritans abſque cauſa, peccet mortaliter: non tamen ut irritatio ſit nulla: Quia illa licentia data, non amiſit dominium illius actus liberi, ſicut nec ubi eſt dominus materiæ promiſſæ, ab illius dominio cadit, quamvis ſuo conſenſu Deo per votum conſecretur (ut nu. 4. probavi) Hujus ſent. videtur *Abbas c. Chariſſimus, de converſ. conjug. n.5.* ubi ait non eſſe diſcrimen inter votum abſtinentiæ, & continentiæ quoad hoc, atque ita in utroque voto debere mulierem obedire viro revocanti. Et tenent *Sotus lib.7. de juſt. q.3. ar.1. verſ. an vero poſſit alteruter, & verſ. arg. autem, & 4. d.32. quæſt.1. ar.3. poſt primam concl.* ubi *Palac. diſp.2. fol.717. verſ. Quod ſi votum, Stunica de voto, qu. 3. n.62. Barth. a Ledeſm. dub.71. de matrim. ad fin. Aragon. 2.2. quæſt. 88. art. 8. fol.* 1022. *Vega 2. tom. ſumm. c. 129. caſ. 22.* & id poſſe quando incontinentiæ periculum ſubeſt, affirmat etiam *Ledeſm. 2. par. 4. quæſt. 66. ar. 4. fin.* Idem credo dicendum, quamvis maritus feciſſet copiam uxori vovendi omnimodam caſtitatem. Contra *Philiar. de offic. ſacerd. tom.1. p.2. lib.3. cap.4. §. Excipitur in concl. verſ. Dico* 4. dicentem oppoſitum, eo quod tunc maritus ipſe videatur pariter vovere caſtitatem. Quod fundamentum reprobavi diſp.36. nu.7. Idem aſſerendum eſt de votis de rebus neceſſariis, factis ab uxore de licentia viri, poteſt enim vir irritare, ut ſi voveat uxor ſe abſtenturam a mendacio, furto. Quia eadem militat ratio, cum, licentia data, adhuc maneat vir illius actus liberi, quatenus novam obligationem peperit.

18 Ad argum. num. 16. propoſita reſp. Ad 1. dic negandam eſſe conſequentiam. Quia quando uterque vovet communi conſenſu, adeſt pactum, convenitque virtute inter conjuges, ut uterque renunciet juri petendi, & reddendi atque irritandi. Quod minime adeſt, altero ſolo de alterius conſenſu vovente. Ad 2. conſtat ex dictis n. præc. Ad 3. dic intelligi *D. Ambroſium,* quando uterque mutuo conſenſu caſtitatem vovet.

19 Quæſtio III. An utroque conjuge mutuo conſenſu caſtitatem vovente, integrum ſit viro irritare votum illud caſtitatis uxoris? Affirmant quidam. Quia adhuc manet matr. & poteſtas viri in uxorem, ut affirmat *D. Aug. epiſt. 199. ad Ecditiam,* & refertur, *c. Quod Deo 33. q. 5.* Secundo, quia quando uterque communi vovet conſenſu, nullum initur pactum de non revocando, ſed de ſola caſtitate ſervanda, ſicut quando alter ſolus vovet continentiam. Tertio, quia ſi eſt contractus cur non mutuo conſenſu poteſt revocari? Cum omnis res per eaſdem cauſas diſſolvatur, per quas naſcitur, *cap. 1. de reg. juris.* Si dicas, jus eſſe Deo acquiſitum per votum. Simile eſt, ubi alter ſolus ad alterius licentiam vovet. Quarto, ſi conjuges voviſſent ſe mutuo conſenſu daturos calicem Eccleſiæ, poſſet vir uxoris votum revocare. Cur ergo non idem dicendum in voto caſtitatis mutua voluntate facto? Sic *Palacios 4. diſt. 32. diſp. 2. f. 717. col.2. v. Hæc commemoraſſe,* & quidam alii, teſte *Arag. ſeq. allegando.*

20 Verum tenendum eſt nullo modo poſſe. Probatur ex *D. Auguſt. epiſt. 199. ad Ecditiam,* & refertur *cap. Quod Deo 33. q.5.* ibi: *Quod Deo pari conſenſu voveratis, perſeveranter uſque in finem reddere debuiſtis; a quo propoſito ſi ille lapſus eſt, tu ſaltem inſtantiſſime perſevera.* Et ex *D. Ambrog. lib. de Paradiſo cap.* 10. & refertur *cap. fin. 33. qu.5.* cujus verba retuli n. 16. in 3. argum. Præterea, quoniam dum uterque conjux mutuo conſenſu vovet continentiam, cum, mutuo pacto edito, cedat jure ſuo quoad quemcumque actum matrimonialem, idque offerat Deo, vitam cœlibem eligens, videtur omnino renunciare juri revocandi, ut vel ſic finis ille vitæ continentis obtineatur. Et quamvis contractus ille poſſet mutuo contractu reſcindi, obſtat tamen vinculum voti in eo incluſum. Hanc ſent. a fortiori tenent DD. quos n. 16. retuli, aſſerentes nec virum poſſe irritare, quando uxor de ejus licentia vovit caſtitatem, & quos retuli diſp. præced. n. 10. quia ajunt etiam non poſſe id votum uxoris irritare abſque ſua licentia factum, & quos retuli diſp. 37. nu. 10. dicentes neutrum poſse tunc petere, aut reddere. Si enim poſſet alter irritare, fas eſſet alteri reddere ei petenti. Et tenent expreſſe *Sotus lib.7. de juſtitia, quæſt. 3. ar. 1. verſ. argum. autem, & 4. diſt. 22. q.1. ar.3. poſt* 1. *concl.* (licet in hoc poſteriori loco dubitans loquatur, dicens forte non poſſe) *Stunic. de voto, q. 3. n. 64. Barth. a Ledeſ. dub.71. de matrim. ad fin. Angl. Floribus 2. p. q. de voto, ar.7. diffic.* 10. *Nider ſumm. præcep.6. cap.4 verſ. Septimus caſus, Arag. 2.2. q. 88. ar. 8. dub. ult. Philiar. de offic. ſacerd. tom.1. p.2. c.4 §. Excipitur in concl. Anton. Gom bull. cruc. clauſ.10. n.66. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c.243. nu. 14. & tom.2 c.90. n.6. Lud. Lop. 1. par. inſtr. c.46. §. Quando uterque, Vega 2. tom. ſum. c.129. caſ. 68.* Hinc fit virum emiſſo hoc mutuo voto, accedentem ad uxorem invitam, non ſolum peccare adverſus religionem voti ſed etiam contra juſtitiam frangendo pactum cum ea initum. De aliis autem votis eo tempore factis; dicam diſp. 42. n. 10.

Idem credo, ſi uterque conjux mutuo conſenſu voveat religionem; aut alter religionem, ordiniſve ſacri ſuſceptionem, alter vero caſtitatem, caſu quo hæc duo poſteriora vota ſunt valida, juxta diſp. 37. n.7. & 8. Neuter enim conjux poterit alterius votum irritare. Quia cum id votum tendat ad omnimodam matr. ſeparationem, & perpetuam continentiam mutato ſtatu ſervandam; videntur conjuges jure revocandi cedere: ſicut quando mutua voluntate voverunt continentiam. Quod ſi votum ſit communi conſenſu emiſſum, eo ſoluto matrim. abſtinendi ab alio meundo, videtur nullam eſſe renuntiationem mutuam juris revocandi votum, & ſimiliter quando mutuo placito promitterent, ſoluto matrimonio ſuperſtitem ingreſſurum religionem, aut ſervaturum caſtitatem: atque ita credo virum poſſe ea uxoris vota irritare: & a fortiori idem aſſerendum eſt in aliis votis mutuo factis conſenſu, ut dandi calicem Eccleſiæ, jejunandi. Quia cum emiſſis his votis manſurum ſit omnino matr. integrum, nec emittantur ut ſtatus eo manente immutetur, non videntur conjuges ſe mutuo a juriſdictione eximere, & a facultate revocandi votum.

20 Quod ſi poſt id votum caſtitatis mutuo conſenſu emiſſum conjuges dent ſibi iterum facultatem in corpus (quod quamvis ſacrilege, valide tamen fieri, diximus diſp.37. num.15. & deinceps teneri utrumque ad debiti redditionem) credo poſse virum id votum caſtitatis uxoris revocare. Quia jam matr. reſtitutum eſt plene ad priorem ſtatum, & renunciatio illa juris irritandi eſt valide remiſſa: atque id votum tempore ſubjectionis emiſſum eſt. Irritatione autem facta licebit uxori deinceps debitum petere. Quia jam voto non obligatur. An vero poſſit ſimiliter uxor irritare votum illud viri, ut liceat illi deinceps petere, dicam diſp.42. n. 15. & an cenſeatur facta hæc remiſſio petendo debitum? dixi diſp. 37. n. 24 Et ſimiliter facta ea mutua remiſſione, & iterum tradito jure in corpus, licebit viro ex cauſa irritare, ac ſine cauſa valide irritabit votum religionis, quod communi conſenſu cum ipſo uxor fecerat. Quia illa remiſſio juris fuit valida, & ita res ad priorem ſtatum rediit.

21 Ad argum. num. 19. propoſita reſp. Ad 1. dico manere in radice poteſtatem in corpus. Quia adhuc manet matrim. non tamen manere poteſtatem in uſum: eo quod mutuo pacto, & voto impedita ſit. Ad 2. conſtat ex dictis num. 20. ubi explicuimus qualiter ſit tacite incluſum non revocandi pactum, & id pactum deficere altero ſolo de alterius licentia vovente, explicui n. 18. Ad 3. dic obſtare votum, ne licite ea remiſſio fiat etiam cum juſta cauſa. Et licet idem votum ſit in altero de alterius licentia permittente, adfuit pactum, quo renunciatum ſit juri irritandi. Ad 4. dic poſſe virum id votum, & ſimilia irritare. Cujus rationem reddidi num. 21.

22 Quæſtio ultima. Utrum vota de licentia viri, vel cujuſcumque ſuperioris emiſſa, & ab eo irritata, reviviſcant finita ſuperioris poteſtate? Quidam id ajunt, ſentientes eam non eſſe veram irritationem, ſed ſuſpenſionem pro ſubjectionis tempore. Quia votum illud cum factum ſit ſuperiore conſentiente, abſolute emiſſum eſt, & independenter a ſuperioris voluntate, atque actus liber, quo factum eſt, jam eſt Deo traditus.

23 At contrarium mihi perſuadeo. Quoniam (ut dixi diſp. præced. nu. 37.) quando ſuperior irritat votum ratione dominii voluntatis, aut materiæ promiſſæ, eſt irritatio vera, & non ſuſpenſio, & vota ſic irritata minime reviviſcunt; At vota tempore ſubjectionis facta de licentia ſuperioris, aut irritantur ratione dominii in voluntatem, & materiam, ut quando voluntas eſt ſubjecta, & etiam materia, vel ratione ſolius dominii in voluntatem, qua ſubditus eam novam obligationem ſibi imponit: aut ſaltem pleni dominii in materiam, ut ſi filius pubes de patris licentia votum reale faciat: ergo ita vere irritantur, ut minime reviviſcant. Hujus ſent. in viro loquens eſt *Angles Floribus, 1. part. quæſt. de voto, art.7. poſt 9. diffic. dub.* 1. ubi dicit poſſe ita virum irritare vota uxoris de licentia ſua emiſſa, ut amplius, ad ea uxor minime teneatur.

24 Ad argumentum n. 24. propoſitum reſp. votum illud adhuc fieri dependenter a voluntate ſuperioris potentis adhuc irritare. Cum non obſtante licentia, & conſecratione facta Deo per votum, maneat adhuc dominus.

DISPUTATIO XLI.

Utrum vota omnia uxoris, quæ tempore prioris matrim. poterat vir irritare, nec irritavit, poſſit alio matrimonio inito vir ſuccedens irritare: quamvis de licentia prioris viri facta ſint? Et idem generaliter quæritur de quocumque ſuperiori ſuccedente in officio, reſpectu ſubditi.

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputandæ ſunt, num. 1.

An ſuperior ſuccedens, ut vir, poſſit irritare vota uxoris, vel alterius ſubditi tempore ſubjectionis alii viro, aut ſuperiori, ſine ejus licentia facta, quæ ille poſſet irritare. Refertur quædam ſententia, 2.

Poteſt, licet tranſacta ſit ætas, in qua ille poterat, nec reviviſcunt, 3.

Vota religionis, aut caſtitatis, non mentiendo, quæ mulier, innupta, & impubes, ſub poteſtate patris, vel tutoris conſtituta fecit, aut realia ante 25. annos ſine illorum licentia, an poſſit vir, cui poſtea nubit, irritare, etiam nondum conſummato matrimonio, 4.

Quid, ſi carebat parentibus, aut tutore, qui irritarent, 5.

Quid, ſi uxor tempore prioris matr. vovit continentiam abſque viri licentia, an poſſit ſequens vir irritare, ita ut non reviviſcat, 6.

Quid, ſi vovit inconſulto viro religionem in tempus ſoluti matrimonii, an poſſit ſequens vir irritare perfecte, 7.

An femina impubere nubenti, cum malitia ſupplet ætatem, & ante conſummationem voventi religionem, poſſit vir irritare, licet jam ſit pubes facta, 8.

An femina nubens poſt votum caſtitatis, & religionis, peccet poſtea conſummans, reddendo aut petendo: quando vir poteſt irritare, & irritat votum, n.9. & ibi an peccet contra votum fornicando, vel iterum nubendo.

An poſſit dominus irritare vota omnia ſervi impuberis, aut realia puberis, minoris tamen, quamvis ſibi non præjudicent, 10.

An ſuperior Societatis Jeſu poſſit irritare poſt vota ſimplicia biennii ea vota, quæ religioſus aut in ſeculo aut in noviciatu fecit, ſi ſunt perſonalia, dum erat impubes, vel ſi realia, dum erat minor, ita ut illo egreſſo e Soc. minime reviviſcant; ſive habuerit tutorem, aut parentes, ſive non, & licet facta ſint de licentia eorum, 11.

Solvuntur argumenta, 12.

*Quid, ubi vota facta ſunt cum licentia ſuperioris aut viri. Refertur duplex ſententia, n.*13. *&* 14.

Si ſuperior major, ut Provincialis, dedit licentiam, non poterit ſuperior minor, ut localis irritare, 15.

Si quidam ſuperior dedit licentiam, poteſt ſubſequens ad libitum ſuſpendere, 16.

Poteſt æqualis ſuccedens, ut ſequens vir, irritare, ita ut non reviviſcant, 17.

Peccat mortaliter irritans abſque cauſa, at tenebit factum, 18.

Si inferiori conceſſit licentiam, poteſt ſuperior abſque cauſa irritare, 19.

An vota caſtitatis, & cetera vota mutuo conſenſu ab uxore tempore prioris matrimonii facta, poſſit vir ſequens irritare, 20.

Solvuntur argumenta, 21.

1 DUplex tractanda eſt quæſtio. Prior, de votis factis abſque licentia prioris ſuperioris. Poſterior, de factis cum illa.

2 Quæſtio I. An vota ab uxore tempore prioris matr. aut ſubjectionis cujuſcumque facta, quæ vir aut alius ſuperior poterat irritare, & non irritavit, poſſit vir ſubſequens aut ſuperior ſuccedens irrita facere, ſi abſque licentia prioris emiſſa ſint? Quidam viri docti ſic diſtinguunt: ſi ſuperior ſuccedat in eamdem poteſtatem moraliter, poterit utique. Qualis eſt ſuperior ſuccedens religioſo, tutor ſuccedens patri, dominus cui ſervus venditur. Secus quando moraliter non eſt eadem poteſtas, ut ſi uxor ſubdita priori viro, vel patri, aut tutori ante matr. ſubdatur alii viro. Ratio diſcriminis eſt, quia in priori caſu, tota poteſtas ſuperioris derivatur ad ſequentem: ſecus in poſteriori.

3 Mihi tamen probabilius eſt poſſe, qualiſcumque ſit ille ſuperior. Ut ſi mulier nupta votis ſe abſque licentia viri aſtrinxit, quæ ille poterat irritare, nec irritavit, poterit ſequens vir irritare. Et ſimiliter, ſi nondum nupta, & impubes emiſit votum perſonale, vel pubes, minor tamen votum reale, abſque parentum aut tutoris licentia, ſub quorum poteſtate conſtituta, poterit vir, cui poſtea nubit, ea irritare, ſicut poterant parentes, aut tutores. Quia maritus ſuccedit in locum patris aut tutoris, ut gubernet eamdem voluntatem, ejuſque defectus ſuppleat, & votum illud ut tempore ſubjectionis emiſſum, erat pendens a voluntate patris, aut tutoris, aut ſuccedentis in eam poteſtatem. Quare ſicut poterat pater ea vota irritare poſt tempus pubertatis, & facta jam puella majori, ſi in illa ætate non eſſent denuo ratificata (ut probabilior habet opinio) idem dicendum eſt de viro. Quia ſuccedit in eamdem poteſtatem. Et ſicut pater, vel tutor, vel prior maritus perfecte irritat, ita ut ea vota non amplius reviviſcant: ita & vir ſuccedens. Nec obſtat vota ante matrim. emiſſa non poſſe a viro perfecte irritari, ſed ſuſpendi, ita ut reviviſcant (ut diximus diſp. 39. n. 39.) Quia id verum eſt, quando tunc non erat mulier alicui ſubjecta, qui poſſet irritare vota, & a cujus conſenſu penderet. Cujus contrarium contingit in hoc caſu.

4 Hinc primo infertur, licet vir non poſſit etiam ſuſpendere, nedum irritare, vota caſtitatis, religionis, de rebus neceſſariis, ut de non mentiendo, & vota realia, ante matrim. ab uxore facta (ut diximus diſp. 39. n. 26. & duplici ſeq.) At ſi ea vota perſonalia emiſerit tunc ante pubertatem, vel realia, poſt pubertatem, minor tamen 25. annis, abſque patris aut tutoris, ſub quorum erat poteſtate conſtituta; beneplacito, poſſe virum ea omnia perfecte irritare, ita ut jam non reviviſcant, & quamvis tranſacta ſit ætas, in qua pater poterat, ſi non ſint poſt illam vota ratificata. Quia ſuccedit in eamdem poteſtatem. Imo & poterit irritare ante conſummatum matr. Quia non irritat præciſe ut vir, ſed inquantum ea vota pendebant a voluntate patris vel tutoris, in quorum poteſtatem ſuccedit vir, ſtatim ac matrim. eſt initum. Imo ſi poſt illam ætatem ſint ratificata, ſi tempore ratificationis erat jam nupta. Quia reputabuntur ut vota conſtante matr. facta, quoad ratificationem illam. Quia ea ratificatio eſt nova voti emiſſio, ac proinde illa tanquam ſine viri licentia facta poterit ab illo irritare. Et priora vota tanquam imperfecta, & ab ejus voluntate pendentia.

5 Atque ſi femina dum voto ſe aſtrinxit, carebat parentibus & tutore, qui irritarent: poterit maritus, ſi adhuc eſt intra ætatem, in qua illi poſſent. Ut ſi adhuc femina eſt minor 25. annis, & votum fuit reale. Quia toto eo tempore, quo eſt intra ætatem intra quam eſt capax tutoris aut curatoris, pendet votum ab ejus voluntate, ſi conſtituatur. Quare ſicut curator tunc conſtitutus poſſet perfecte irritare: ita maritus, qui ejus vices obtinet. At ſi fuit votum perſonale, & jam femina eſt pubes, ſicut tutor poſt pubertatem datus, non poſſet id votum irritare, quia non datur tunc poteſtas in actiones perſonales, eſt enim ſui juris jam quoad illas: ita nec vir poteſt perfecte irritare. Et idem dicendum eſt, ſi votum fuit reale, nec habebat femina patrem aut curatorem, qui irritaret, atque cum nubit excedit XXV. annum. Non enim poterit vir irritare. Conſulto dixi, ſi cum nubit, excedit ætatem, intra quam votum irritari poſſet. Nam ſi erat intra illam ætatem, poterit vir quandocumque illud irritare. Quia jam legitime obtinuit poteſtatem irritandi, cum ejus curam ſuſceperit intra ætatem legitimam ad irritandum. Eam autem ætatem jam tranſactam eſſe, nil confert (ut dicebam n. 3.) Nec obſtabit, ſi poſt eam ætatem ſit ratificatum. Quia ea ratificatio fuit conſtante matr. facta, ut explicui n. præc. in fine.

6 Secundo infertur, ſi tempore prioris matrim. voverit uxor continentiam abſque viri licentia, ſicut ille poſſet perfecte irritare, ita ut non reviviſcant (ut dixi diſp. 39. n. 11. 12. & 37.) ita poterit & vir ſequens, tanquam ſuccedens in eamdem poteſtatem.

7 Tertio infertur, ſi uxor inconſulto viro poſt matr. conſummatum vel ante voveat religionem in tempus ſoluti matr. atque eo ſoluto iterum nubat, quo caſu peccat lethaliter contrahendo, & tenetur ante conſummationem ingredi religionem, poſſe virum id votum irritare, itaut nunquam reviviſcat: ſecus ſi emiſſum eſſet ante matrim. conſummationem, & tunc implendum. Quia in priori caſu poterat vir irritare, non autem in poſteriori (ut diximus diſp. 39. n. 19. & 38.) Atque ideo idem poterit vir ſuccedens in ejus poteſtatem. Imo poſterior hic vir poterit irritare illud votum religionis factum tempore prioris matr. in tempus ejus diſſolutionis, licet nondum præſens matr. conſummarit. Quia irritat illud ut ſucceſſor prioris viri in ejus poteſtatem, a cujus conſenſu pendebat. In quam poteſtatem plene ſuccedit (præterquam ad cogendum uxorem ad reddendum, ſi velit priori bimeſtri tranſire ad religionem, nondum conſummato matr.) quamvis matr. non conſummarit. Nec ad poteſtatem irritandi vota deſideratur matrim. conſummatio (ut probavi diſp. 39. n. 20.)

8 Quarto infertur, femina impubere valide nubenti (ut cum malitia ſupplet ætatem) & poſt nuptias, ante matr. conſummationem adhuc impubere voventi religionem abſque præſentis viri licentia, poſſe virum perfecte id votum irritare, & ſi tunc non irritaret, poſſe tranſacta ea ætate, quandocumque, licet poſt conſummatum matr. id ratificaverit jam pubes facta. Quia ſimile votum ea ætate emiſſum poteſt tutor aut pater irritare, & licet tranſacta ſit ætas. Atque ideo idem poterit vir, qui ejus vicibus fungitur. Et quamvis tranſacta ætate denuo ratificatum non poſſit pater aut tutor irritare; at poterit vir, ſi tunc, quando ratificavit, erat conſummatum matr. Quia eſt ac votum conſtante matr. factum (ut explicui nu. 4. fine) ſecus ſi pubes facta ratificavit id votum religionis tunc implendum, & nondum matr. eſt conſummatum. Quia eſt votum religionis denuo emiſſum a femina pubere ante matr. conſummationem, & eo tempore implendum, quod n. præc. irritari a viro minime poſſe diximus. Sed objicies, feminam impuberem voventem ante matr. conſummationem, religionis ingreſſum, emittere votum exeundi a mariti poteſtate: atque adeo non poſſe a viro irritari. Ea enim ratione nequit votum tranſitus ad ſtrictiorem religionem irritari (ut diximus diſp. 39. n. 9.) ſed reſpondetur, in ætate illa tenera ante pubertatem, nullam concedi facultatem vovendi independenter a poteſtate patris vel tutoris, ac proinde ſicut illi poſſunt irritare non obſtante hac ratione, ita & vir in eorum locum ſuccedens.

9 Quinto infertur, feminam nubentem poſt votum caſtitatis, & religionis abſque licentia viri, vel alterius ſuperioris, cui ſuberat, atque qui poterat irritare, ſi non irritavit, peccare lethaliter, matr. contrahendo, illudque prima vice conſummando, ſi fuit votum religionis: & ſemper exigendo debitum, ſi fuit votum caſtitatis. At ſi vir ſequens irritet, ante conſummatum matr. juxta dicta n. 7. non peccabit conſummando, & quandocumque irritaverit, non peccabit amplius petendo: nec erit rea voti caſtitatis fornicando: vel eo matr. ſoluto aliud ineundo. Quia votum per irritationem eſt omnino extinctum.

10 Sexto infertur, quamvis dominus non poſſit irritare vota ſervi, ſibi non præjudicantia, vel emiſſa in tempus libertatis (ut dixi diſp. 39. n. 17.) poſſe illum irritare omnia vota ſervi impuberis: & omnia realia ſervi puberis minoris vigintiquinque annis, etiam in libertatis tempus emiſſa. Quia id poſſet curator ſeu tutor, cujus loco eſt dominus. Quare vota illa nunquam reviviſcent.

11 Ultimo infertur, etſi ſuperior Soc. Jeſu non poſſit irritare

vota religioſi emittentis vota biennii, aut coadjutorum formatorum in illa, vota (inquam) quæ in ſæculo aut in noviciatu emiſit, ſed ſuſpendere ſolum pro tempore quo in ea permanſerit (ut diximus diſp. 39. num. 43.) poſſe tamen eum ſuperiorem illa perfecte irritare, ita ut non reviviſcant, ſi emiſſa ſint tempore quo ille erat ſub poteſtate patris, aut tutoris, curatoriſve, qui illa vota poterant irritare, & non irritarunt: vel ſi illis carebat, emiſit vota biennii intra ætatem, in qua illi poterant irritare: licet jam tranſacta ſit ætas illa. Sicut de marito ſuccedente, reſpectu uxoris, diximus num. 4. & 5. Et ſicut ibi diximus, poſſe tranſacta ea ætate votum ratificatum irritari a viro: quia ratificatio eſt ac novum conſtante matrim. factum. Ita dicendum eſt de ſuperiore Societatis. Quia ſi ſubditus poſt vota biennii, licet jam impleta ætate, in qua non poteſt votum irritari, illud ratificet, ea ratificatio eſt nova voti obligatio poſt vota biennii impoſita; vota vero tunc emiſſa poſſe perfecte irritari, ita ut nunquam reviviſcant, ut dixi d. diſp. 39. num. 43. Et hæc ita ſe habent, quando ea vota in ſæculo emiſſa ſunt abſque licentia patris vel tutoris. Quia id votum erat dependens a conſenſu eorum, in quorum locum ſuccedit ſuperior Soc. ut voluntatem illam dirigat, ejuſque defectus ſuppleat. Si vero facta ſint vota de licentia patris vel tutoris, dicendum eſt circa irritationem vel ſuſpenſionem eorum, quod dicemus de votis uxoris ex ſimili licentia factis n. 16. & duplici ſequenti.

12 Ad arg. n. 2. propoſitum fateor, non eſſe tantum unitatem moralem poteſtatis inter maritum poſteriorem, & priorem, vel illum & tutorem; ac inter duos religionis prælatos, vel patrem, & tutorem ſibi ſuccedentes, at vere poteſt dici eadem poteſtas moraliter, quia ſuccedit in eorum vices ad gubernandam illam voluntatem, & ejus actus, quod ſufficit in re tam favorabili imbecillitati feminæ.

13 Quæſtio II. Utrum quando cum licentia prioris viri aut ſuperioris, vota ſunt emiſſa, poſſit ſuccedens vir aut ſuperior irritare, perinde ac facta ſine licentia? Quidam omnino negant irritandi poteſtatem, atque ita dicunt irritationem fore nullam. Ducuntur, quia prior ſuperior poterat irritare, eo quod dando licentiam non abdicavit a ſe dominium materiæ aut actus liberi, quo ea obligatio impoſita fuit: at ſuperior ſuccedens nunquam id dominium habuit. Quia ante tempus ſubjectionis illa ſunt Deo conſecrata. Secundo; quia ideo ſubditus nequit vovere, quia caret proprio, at res illa facta eſt propria, concedente priori ſuperiore licentiam. Ergo manet votum ab alio irrevocabile.

14 Alii autem dicunt poſſe ſuperiorem ſuccedentem, licite abſque cauſa ea vota revocare: quamvis ſuperior, qui fecit copiam, peccaret mortaliter ſine cauſa revocando. Quia cum par in parem non habeat imperium *c. Innotuit, de elect.* licentia prioris ſuperioris nequit poſteriori præjudicare, qui alias poterat abſque cauſa irritare.

15 Prima concluſio. Si Prælatus ſuperior conceſſit licentiam ad vovendum, ut Provincialis religioſo, prælatus inferior, ut localis, caret poteſtate irritandi illud votum. Quia inferior nequit geſta a ſuperiore revocare. Sic *Ricard. 4. d. 38. ar. 4. q. 3. Ang. Florib. 2. p. q. de voto, art. 7. diff. 6. Manuel 2. tom. ſum. c. 89. concl. 6. n. 7.*

16 Secunda concluſio. Poteſt æqualis ſuperior ſuccedens ſuſpendere ad libitum vota ſubditi facta de prioris ſuperioris conſenſu, ut vir ſubſequens vota facta de prioris viri conſenſu. Prob. quia poteſt occupare ſubditum illum in omni tempore, & hoc eſt, quod docent *D. Aug. l. 4. ſuper Num. q. 59.* & refertur *cap. Noluit, 33. q. 5. & ibi Hugo, Arch. n. un. Bellam. n. 1.* poſſe maritum irritare vota ante matr. facta a puella de parentum conſenſu: & id abſque peccato. Ea enim non eſt irritatio, ſed ſuſpenſio, & ita ceſſante viri poteſtate ea vota reviviſcunt (ut probavi diſp. 39. n. 39.)

17 Tertia concluſio. Vota facta de licentia ſuperioris; poteſt æqualis ſuccedens irritare, ita ut non reviviſcant. Ut ſi mulier de licentia prioris mariti vel patris, ſub cujus poteſtate erat conſtituta, votum emiſit, quod ipſi valide irritare poterant juxta dicta tota diſp. præc. poteſt vir præſens valide irritare, ita ut non reviviſcat. Quia ſuccedit in eamdem poteſtatem prioris ſuperioris, a cujus voluntate votum illud pendebat, obligabatque, dum ille non irritaret.

18 Hinc infertur, valere irritationem, ſi abſque cauſa juſta fiat: ac peccare mortaliter irritantem. Si autem cauſa juſta adſit, immunem eſſe culpæ. Prob. quia cum ſuccedat in eamdem prioris poteſtatem, poteſt irritare eo pacto, quo prior poterat. At prior licite irritat cum cauſa: & abſque illa valide, ſed peccat lethaliter (ut diximus diſp. præced. n. 7.) ergo idem dicendum eſt de poſteriori. Præterea prob. peccare mortaliter irritantem abſque cauſa. Quia illam obligationem permittendi ſubdito impletionem voti contraxit prior ſuperior, non ut perſona privata, ſed ut ſuperior: ergo illa derivatur ad ejus ſucceſſorem: ſicut derivarentur omnes aliæ obligationes, quas ille rationabiliter in quantum ſuperior contraxiſſet: & confirm. quia in tantum poteſt ſucceſſor irritare, in quantum votum illud pendebat a voluntate prioris ſuperioris, cui ille ſuccedit. At ab illa voluntate non pendebat abſolute, ut licite fieret, ſed interveniente cauſa juſta. Ergo ſuperior poſterior indiget etiam juſta cauſa, ut licite irritet.

Quarta concluſio. Si ſuperior minor, ut localis, conceſſit licentiam ad votum, poteſt ſuperior illo major, ad libitum & abſque cauſa licite irritare. Quia habet poteſtatem in voluntatem ſubditi, & etiam ſuperioris concedentis licentiam. Item, quia non irritat, quatenus illud votum pendebat a conſenſu illius prælati inferioris, ſed quatenus a ſuo pendebat, qui libere irritare poterat: nec voluntas, & conſenſus prælati inferioris poteſt ipſum ligare, aut impedire, ne libere irritet. Et ſic videntur ſentire *Angles, & Manuel, quos n. 15. retuli*, dicentes abſolute poſſe hunc ſuperiorem irritare. 19

Ultima concluſio, Votum caſtitatis & religionis, quæ mutuo conſenſu tempore prioris matr. facta, non poterat prior vir irritare, juxta dicta diſp. præcedenti num. 21. non poterit poſterior hic vir irritare: ſed manebunt cum eadem obligatione, quam haberent non inito poſteriori matr. præterquam, inquantum præſens matr. non compatitur executionem, ut ſi ſit votum caſtitatis, obligabit durante matr. ad non petendum, & ad cetera, ad quæ obligaret ante matr. emiſſum. Si autem ſit religionis, diximus qualiter obliget, diſp. 37. n. 5. Cetera autem vota quæ mutuo conſenſu facta poterat prior vir irrita facere cum juſta cauſa, & abſque illa valide, ſed cum peccato (ut diximus diſp. præc. n. 21.) poterit ſimiliter vir poſterior eodem modo irritare: tanquam ſucceſſor in ejus vices, & poteſtatem. 20

Ad arg. n. 13. propoſita reſp. Ad 1. dic moraliter habere idem dominium, quod prior habebat, inquantum ſuccedit in eamdem moraliter poteſtatem. Ad 2. dic non fieri rem illam propriam abſolute, ſed dependenter a voluntate illius ſuperioris, & illius qui in eamdem poteſtatem ſucceſſerit. Ad arg. n. 14. propoſitum dic, quamvis par in parem non habeat imperium, at potuiſſe ſucceſſori præjudicare, in quantum legitime, ut ſuperior obligationem aliquam contraxit, cui ſuccedens in eamdem poteſtatem tenetur ſtare. 21

DISPUTATIO XLII.

An poſſit uxor irritare aliqua viri vota, præſertim caſtitatis, abſque ſua licentia, vel cum illa mutuove conſenſu facta: ante vel poſt matr. aut in tempus ſoluti matr. vel ſequens uxor vota facta tempore prioris matr. votaque ſic irritata minime reviviſcant?

SUMMARIUM.

An uxor poſſit irritare aliqua viri vota abſque ſua licentia facta. Refertur quædam opinio, n. 1.

Poteſt ſola ſibi præjudicantia irritare, 2.

Eſt vera irritatio: nec ea vota reviviſcunt, 3.

An viro integrum ſit abſque uxoris licentia, aliquas abſtinentias, vigilias, peregrinationem vovere ſpecialiter in ſubſidium Jeroſolymitanum, ita ut uxor irritare nequeat, remiſſive, n. 4. & ibi, de mutatione habitus.

An cum abſtinentiæ a viro promiſſæ ſunt nimiæ, poſſit uxor integre revocare, vel ſolum quoad exceſſum ſibi præjudicantem, 5.

An poſſit uxor irritare vota viri in præjudicium familiæ, & rei familiaris facta, 6.

Quid de voto non petendi debitum facta a viro ſine uxoris licentia, 7.

An ratione ſui periculi, poſſit uxor quæ incidit in fornicationem temporalem aut ſpiritualem, id non petendi debitum irritare, 8.

An vota ſibi præjudicantia poſſit uxor adultera, vel facto divortio, vel tempore divortii emiſſa irritare, remiſſive, 9.

Quid de votis factis ab alterutro conjuge abſque alterius licentia, tempore quo communi placito uterque caſtitatem aut religionem voverat: aut alter caſtitatem, alter vero religionem aut ordinis ſacri ſuſceptionem voverat, 10.

An poſſit uxor irritare vota facta a viro in tempus ſoluti matrimon. 11.

An poſſit uxor ante conſummatum matrimonium irritare vota tunc a viro facta, 12.

Quid de votis factis a viro de uxoris licentia, 13.

Quid de voto integre caſtitatis ſervandæ, facto a viro, conſentiente uxore, 14.

An poſſit uxor irritare vota caſtitatis, aut alia mutuo conſenſu facta, etiamſi iterum uterque, jus in corpus ſibi concedat, 15.

An uxor ſubſequens poſſit irritare vota tempore prioris matrimonii abſque licentia uxoris facta, 16.

Quid de factis cum licentia prioris uxoris, 17.

Quid de factis ante matrimonium, 18.

Solvuntur argumenta, 19.

IN hac quæſt. exiſtimant quidam, nulla viri vota poſſe ab uxore irritari, quamvis abſque ejus licentia ſint facta. Ducuntur, quia uxor non habet dominium voluntatis viri, imo ipſi tanquam capiti ſubeſt. Nec etiam materiæ promiſſæ, quoniam hoc maxime verum haberet quoad actus matrimon. quoad illos autem conjuges ſunt pares: *c. Gaudemus de divortiis*, ſent. videtur *Sotus l. 7. de juſt. quæſt. 3. art. 1. verſ. An vero extra hanc materiam*. Et tenent *Petr. de Led. de matr. q. 64. ar. 4. dub. 2. concl. 2.* & quidam alii Neoterici docti. 1

2 Prima concluſio. Quamvis uxori non ſit permiſſum omnia viri vota irritare, eo quod non eſt caput viri, ſed ipſius imperio ſubeſt: at poteſt omnia, & ſola viri vota abſque ſua licentia facta irritare, quæ ipſi præjudicant quoad moderatam debiti redditionem, aut mutuam cohabitationem. Quoniam uxor habet dominium, & poteſtatem corporis viri, per contractum matr. acquiſita, quoad debitum ſibi reddendum moderate, & cohabitandum, *1. Cor. 7.* ergo vota huic dominio præjudicantia irritare poterit. Et confir. nam habens dominium irritandi votum non reddendi debitum, & non cohabitandi: habebit ſubinde poteſtatem irritandi vota hoc impedientia. Secundo. Nam quamvis quoad actus matrim. ſint conjuges æquales, ea ratione, quod æque neuter aſtringitur ad petendum, & uterque tenetur petenti reddere. At ſibi ipſis ſunt ſubditi, inquantum neuter habet ſui corporis poteſtatem & dominium, ſed par matrimonium tranſtulit in alterum. Ergo ratione hujus dominii, & ſuperioritatis poterit uxor ea vota irritare, quæ illi poteſtati officiunt. Hujus ſent. videntur *gl. c. Manifeſtum, verſ. niſi author. 33. q. 5. & ibi Hugo, & Arch. n. un. Bellam. n. 1. Hoſt. ſum. t. de voto, §. Quis vovere poſſit, num 8. verſ. Uxor etiam, & c. Scripturæ, de voto, ad fin.* ubi *Innoc. ad fin. Jo: Andr. n. 4. Ant. num. 3. Abb. n. 8. Anch. n. 13. Card. q. 14. Abul. c. 30. Num. q. 83. & c. 6. Matth. q. 149. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 22. §. 1. Major. 4. d. 38. qu. 4. dub. 2. quod incipit, Qui poſſit vovere, verſ. Quartæ perſonæ, Suppl. Gabr. 4. d. 32. q. un. art. 2. not. 3. & art. 2. concl. 7. Roſel. Votum 2. num. 9. Ang. Votum 2. num. 8. Silv. Votum 5. q. 1. Lex 8. t. 8. p. 1. Greg. Lop. l. 3. v. El marido, eo t. & p. Margarita conf.* ubi de voti irritat *f. 135. Man. 4. t. ſum. c. 90. n. 3.* ubi dicunt non poſſe virum abſque uxoris conſenſu, vota emittere debito conjugali præjudicantia, ſicut nec uxorem abſque viri licentia. Imo *Jo: Andr. Anchar. D. Ant. ibid.* dicunt poſſe uxorem id votum viri revocare. Atque expreſſe tenent hanc ſent. *Nav. ſumm. cap. 12. lat. n. 64. diſp. n. 65. Stun. de voto q. 3. num. 60. Tol. l. 4. ſum. c. 18. Arag. 2. 2. q. 88. art. 8. f. 1020. Graffis 1. p. dec. l. 2. cap. 29. num. 8. Phil. de offic. ſacerd t. 1. p. 2. lib. 3. c. 18. §. 11. peccat, Lud. Lop. 1. p. inſtr. cap. 47. §. ult. Cannedo ſumm. de ſacr. tract. de matr. cap. 8. num. 74.* & ſupponit *Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. de voto, punct. 6. q. ult. de votis ſubditorum*. Pro eadem ſent. ſunt *Abb. Cajet. Angel. Silv. Sotus*, qui (ut adverti diſput. 39. num. 36.) dicunt profeſſionem, quam vir abſque uxoris conſenſu emiſit, de qua fit mentio *c. Quidam, de converſ. conjug.* non obligaſſe ad religionem ſoluto matrimon. Quia uxor revocavit.

3 Secunda concluſio. Vota ea viri irritata ab uxore non reviviſcunt: ſed manent perfecte irritata & extincta. Probatur ex *Abbate, Cajet. Angel. Silv. Soto*, qui (ut num. præc. fine dixi) dicunt id votum religionis viri revocatum ab uxore non reviviſcere, atque ita non teneri virum, ea defuncta, ad illud. Inſuper probatur ex dictis diſp. 39. num. 34. ubi contra alios oſtendimus, ſufficere ad veram irritationem votorum, ita ut amplius minime reviviſcat perfectum & abſolutum dominium in materiam promiſſam. At tale habet uxor circa ea, quæ debito conjugali, & cohabitationi præjudicant, & tenet expreſſe *Nav. ſum. c. 12. n. 66.* ubi ait non reviviſcere vota, quæ irritarunt mariti, vel uxores.

4 Ex dictis infertur, non poſſe virum abſque uxoris conſenſu eas preces, abſtinentias, vigiliaſve promittere, quæ ita debilitent vires, ut ineptus ſit reddendo moderate debito, quamvis vovere poſſit aliquas moderatas minime illud impedientes, ut probavi lib. hoc diſp. 3. num. 7. & quid, de peregrinatione etiam in ſubſidium Terræ Sanctæ, dixi diſp. 4. n. 15. & 16. & num liceat alteri conjugi habitum mutare, altero renitente, dixi ea diſp. n. 9.

5 Non poterit autem uxor, ubi jejunia promiſſa, vigiliæ, aut preces debitam menſuram excedunt, revocare in totum: ſed exceſſum illum. Quia ſolum poteſt revocare vota inquantum debito conjugali præjudicant, at ſolus ille exceſſus promiſſus eſt hujuſmodi, atque obligatio illa non eſt individua, ſed commodam patitur diviſionem. In quo caſu diſp. 35. n. 4. dixi non promitti per modum unius. Et confir. Quia ſi jejunium quadrageſimæ obſtet debito conjugali moderate reddendo, excuſabitur vir, non in univerſum, ſed quatenus illi obligationi obſtat. Inſuper confirmatur ex iis, quæ n. 14. trademus.

6 Secundo infertur vota in præjudicium familiæ, & rei familiaris, a viro emiſſa, ut erogandi magnas eleemoſynas, non poſſe ab uxore irritari. Quia tota familiæ, & bonorum adminiſtratio eſt penes virum, independenter ab uxore. Nam etiam ipſa reclamante tenebit factum, licet male faciat. Sic *Sot. l. 7. de juſt. q. 3. ar. 1. verſ. An vero extra hanc materiam*. Quod ſi votum illud in vitium prodigalitatis aut injuſtitiæ tenderet, non haberet vim obligandi, & ita non indigeret relaxatione. Atque ita cum *Soto ibi* tenet *Angles Florib. 2. p. q. de voto, ar. 7. poſt 9. diffic. dub. 3. concl. 2.*

7 Tertio infertur, quid dicendum ſit de voto non petendi debitum facto a viro abſque uxoris licentia. Illud enim irritari poſſe ab uxore affirmant aliqui. Eo quod ſit in uxoris præjudicium, quæ contra naturaliter inſitum feminis pudorem cogetur ſemper petere. Sic docent *Enriq. l. 11. de matr. c. 15. n. 8. ad fin. Manuel 2. t. ſumm. cap. 90. num. 3. Phil. de offic. ſacerd. t. 1. p. 2. l. 3. cap. 4. §. Excipitur in concl. Vega 2. t. ſum. cap. 129. caſu 93.* & dicit eſſe probabiliſſimum, *Arag. 2. 2. qu. 88. ar. 8. f. 1021.* Et videtur tenere *Nav. ſumm. cap. 12. n. 60.* cum hoc temperamento, niſi ſit votum non petendi in favorem ſui, ſed tantum quando mos eſt gerendus alteri conjugi. Et videntur teneri alii indiſtincte dicentes poſſe alterum conjugem id votum caſſare. Hi ſunt, *Guttier. q. can. l. 2. c. 22. nu. 49. Man. 1. tom. ſum. 2. edit. c. 243. n. 8. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 36. §. Votum conjugis*. Ceterum dicendum eſt, non poſſe irritari ab uxore hoc votum. Quia hoc votum non eſt contra fidem matr. quæ ſolum aſtringit virum ad reddendum, nec uxor dominium aliquod aut poteſtatem habet in virum, ut compellat ipſum ad petendum debitum; ſed quoad id ſunt pares, & ambo ſui juris, & ex altera parte, vir non eſt ſubditus mulieri quoad ſuos actus, ut videat, expediat nec ne illos implere. Sic tenent *Palac. 4. d. 38. diſp. 2. f. 717. col. 1. init. Angles Florib. 2. p. q. de voto, ar. 7. poſt 9. diffic. dub. 2. Stunic. qu. 3. de voto, num. 60. Ant. Gomez ſuper bullam Cruciatam, clauſula 10. num. 67.* & a fortiori, id tenent DD. omnes, qui virum poſſe irritare id votum uxoris negant: quos retuli diſp. 39. n. 10. Nec obſtat gravamen uxoris, quæ cogetur ſemper debitum petere. Quia vir emiſſo eo voto, tenetur ſe aliquoties offerre ad uſum conjugalem: nec vere irrogat injuriam, utens jure ſuo non petendi.

Hoc temperat ſatis obſcure *Navar. ſumma c. 12. lat. num. 64. hiſp. nu. 65.* dicens tunc poſſe conjugem votum alterius non petendi debitum irritare, quando incidit in notoriam fornicationem carnalem vel ſpiritualem, & probat ex *c. Agathoſa 27. q. 2.* & refert *Abbatem cap. fin. de converſ. conjug.* & ita Navarrum intelligit *Valentia 2. 2. diſput. 6. de voto, punct. 9. q. ultim. de votis ſubditorum, §. Exiſtit autem*, nec illum improbat, ſed dicit id non clare colligi ex *d. cap. Agathoſa*. Eodem modo intelligit illud *Lud. Lop. 1. p. inſtr. cap. 47. §. ult.* & dicit poſſe tunc alterum irritare, ne alter periclitetur. Sed *c. Agathoſa* nil confert ad id probandum. Et falſo allegatur *Abbas*. Nec video cui fundamento hæc limitatio innitatur. Quoniam periculum alterius conjugis eſt quidem ſufficiens cauſa petendæ diſpenſationis: at non confert dominium in alterius voluntatem vel materiam, quod exigitur ad irritandi poteſtatem. Ergo ſi ſecluſo eo periculo non poterat conjux irritare, idem erit dicendum eo ſtante. Deinde, quia parum conferret ad periculum, fornicationem eſſe notoriam, aut occultam: & fornicationi ſpirituali non conſuletur irritato voto petendi, & ideo ea limitatio eſt reiicienda. 8

Utrum autem uxor adultera, ſive integro matrimon. ſive ſeparato per divortium, poſſit irritare ea voti innocentis, quæ poterat ante adulterium aut ante divortium? dixi diſp. 37. n. 7. & 8. quid de votis tempore divortii a viro factis? dixi eadem diſp. 39. n. 41. 9

Quarto infertur, quid dicendum ſit de votis factis a conjugibus, poſtquam mutuo conſenſu voverunt continentiam. Cum enim per tale votum non abſolvantur a cohabitatione, & aliis obſequiis, ſed a ſolo debito conjugali perſolvendo (ut diximus diſp. 37. num. 14.) & ideo viro adhuc incumbat uxoris gubernatio, poterit quidem omnia uxoris vota irritare, præter votum illud caſtitatis: uxor autem ſolum votum longæ peregrinationis, & alia hujuſmodi, quæ cohabitationi adverſantur, irritare poſſet: non autem quæ debito conjugali perſolvendo. Quia ad ſolam cohabitationem jus habet. Et ea eſt vera & perfecta irritatio: atque ideo vota ſic irritata non reviviſcunt. Juxta ea quæ n. 3. diximus. Si autem mutuo conſenſu iterum concedant ſibi conjuges jus in corpus, dicemus num. 15. Si autem ſit votum communi conſenſu religionis: aut alterius conjugis, ingrediendi religionem, ordiniſve ſacri ſuſcipiendi, alterius vero, caſtitati, caſu quo efficaciter hæc vota obligant (de qua re egimus tota diſp. 37.) cum adhuc vir gubernationem uxoris retineat, donec matrimonium ſeparetur, poterit omnia illius vota irritare, præter illud religionis aut caſtitatis. Sicut diſp. 39. nu. 20. diximus poſſe virum irritare vota ab uxore emiſſa ante matrimonium conſummatum, animo ingrediendi religionem, & in illa explenda: præter religionis votum. At vero uxor non poterit irritare aliud votum viri, niſi quod impediret debitum conjugale, aut cohabitationem, dum non ſeparatur matrimonium implendo ea vota. Quia interim jus habet ad hæc, quando poſt matr. conſummatum ſunt facta vota illa mutua religionis. Juxta dicta diſp. 37. n. 5. & hæc quidem, quando alia vota ſunt facta abſque alterius conjugis licentia. Nam quando cum licentia ſunt facta, dicemus diſp. hac num. 13. & ſequentibus. 10

Quinto infertur, vota facta a viro in tempus ſoluti matrimonii, minime poſſe ab uxore irritari. Quia ipſi minime præjudicant. 11

Sexto infertur, vota facta a viro abſque uxoris licentia ante conſummatum matrim. ſi animo tranſeundi ad religionem fiant, nequaquam poſſe irritari ab uxore. Quia ipſi minime præjudicant. At ſi non eo animo, vel eo animo votis factis, conſummaret matr. poſſet vere, & perfecte irritare ſibi præjudicantia. Quia matr. inito ante conſummationem, acquirit jus in corpus viri, atque dominium, cui aliter præjudicare nequit, niſi per ingreſſum religionis. 12

Septimo infertur, valide poſſe irritare uxorem vota ſibi præjudicantia, emiſſa a viro de ipſius uxoris licentia. Quia ea licentia conceſſa, adhuc manet domina materiæ illius promiſſæ, ut probavimus diſp. 40. n. 4. Sic docent *Innoc. c. Scri-* 13

pturæ, de voto, ad fin. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 22. §. 1. & Sotus 4. d. 27. q. 1. art. 4. verſ. Id autem, videtur id tenere, quem ſequitur *Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 20. concl.* 1. uterque enim ait indiſtincte, conjugem dantem licentiam vovendi, poſſe revocare. Addunt *Innoc. & D. Ant.* peccare revocantem. Sed dicendum eſt (ac diximus de viro, diſput. 40. nu. 4. & ſeq.) nimirum, peccare mortaliter uxorem abſque cauſa irritantem; virum autem a culpa excuſari, exiſtente autem juſta cauſa, nullam eſſe culpam: & votum ſic irritatum minime reviviſcere, ratione dicta num. 3. Quia vota ea irritantur ratione perfecti dominii in materiam.

14 Octavo infertur: ſi vir de licentia uxoris fecerit votum omnimodæ caſtitatis, abſtinendi nempe, a petitione & redditione & ſervandi omnino caſtitatem poſſe uxorem ex juſta cauſa licite irritare quoad redditionem, & abſque juſta cauſa, valide, ſed cum peccato. Quia adhuc domina manet corporis viri, atque ita materiæ promiſſæ: non poſſe autem quoad reliquos effectus. Unde vir, cui ſic irritatum eſt votum, tenebitur non petere, & ſoluto eo matr. ab alio ineundo abſtinere, & ſi fornicetur, erit reus ſacrilegii contra votum caſtitatis. Quia cum tantum habeat dominium corporis viri quoad obligationem, quam habet vir reddendi, quod licentiam vovendi conceſſam, minime amiſit, non autem quoad ceteros caſtitatis actus, ad quos votum obligat, non poterit irritare, niſi quoad illum ſolum actum. Nec illi actus caſtitatis, promiſſa caſtitate, voventur per modum unius; cum commode dividi poſſint. Quod conſtat ex *c. Quidam, & c. Placet, de conv. conjug.* ubi deciditur conjugem, qui inſcio altero conjuge vovit ſolemniter caſtitatem in religione, valide voviſſe quoad non petendum, & abſtinendum ab alio matrim. quod erat in ſua poteſtate: non autem quoad non reddendum; & Doctores, quos n. 2. fin. retuli, dicentes uxorem irritaſſe illud votum viri, admittunt irritationem quoad partem obligationis illius voti. Inſuper probatur, nam qui voto caſtitatis facto tranſit ad nuptias, tenetur reddere: at nec poteſt petere, nec aliud matrim. eo ſoluto inire, & ſi fornicetur, reus erit ſacrilegii (ut probavimus diſp. 33. n. 5. & 11.) ergo ea obligatio eſt diviſibilis.

15 Nono infertur, ſi conjuges, qui mutuo conſenſu voverunt caſtitatem, iterum ſibi jus in corpus concedant, & renunciationem juris remittant (quo caſu diximus diſp. 40. n. 22. poſſe virum irritare votum illud caſtitatis uxoris) minime poſſe uxorem votum illud viri irritare. Quia quoad reddendum, in quo uxor eſt domina, non indiget irritatione; cum ſtatim teneantur conjuges ſibi reddere (ut dixi diſp. 37. n. 15.) Quoad alios autem actus, ad quos votum illud obligat, nequit uxor irritare, ut probavi n. præcedenti. At cetera vota communi conſenſu facta, quæ alias poſſet uxor irritare facta ſine licentia, eo quod ſibi præjudicant, de quibus reſpectu poteſtatis viri ad irritandum diximus diſp. 40. num. 22. & docuimus poſſe virum irritare præter illa, quæ ſunt mutandi ſtatum: dicendum eſt poſſe uxorem in viro irritare, non quidem omnia, ſicut poteſt vir: ſed ſola quæ ſibi præjudicant. Quia illa licentia conceſſa adhuc uxor manet domina materiæ, nec ibi fuit aliqua renunciatio juris irritandi: & licet durante illo mutuo caſtitatis voto, nequiret irritare ea vota, quæ debito conjugali perſolvendo averſabantur: eo quod jus illud renunciarat, jam tamen illud per mutuam illam remiſſionem eſt recuperatum. Quid autem, ſi medio illo tempore, quo votum caſtitatis mutuo conſenſu factum obligabat, vir promiſerat magnas abſtinentias, quæ debito conjugali perſolvendo obſtant: quæ vota n. 10. diximus non poſſe irritari ab uxore: an inſtaurato matr. facta illa nova corporum traditione, poſſit uxor irritare. Credo minime poſſe perfecte irritare. Quoniam cum vir eſſet ſui juris quoad debitum reddendum, poterat independenter vota illi obſtantia emittere: atque ita uxor, ex cujus conſenſu minime pendebant, non poterit irritare: ſed reputabuntur tanquam facta ante matrim. quæ ſuſpendi poſſe ab uxore dicemus nu. 18. At vir ea omnia facta ab uxore poterit irritare, non ratione dominii in materia, ſed ratione gubernationis voluntatis, etiamſi non inſtauretur matrimonium: nec illa nova traditio fiat, ut diximus n. 10.

16 Decimo infertur, poſſe uxorem ſubſequentem, vota a marito facta tempore anterioris matr. priori uxori præjudicantia quoad debitum & cohabitationem, perfecte irritare, itaut nunquam reviviſcant, ſi facta ſint ſine prioris uxoris licentia. Quia ea pendebant a voluntate prioris tanquam dominæ illius materiæ, in cujus locum & poteſtatem ſuccedit poſterior uxor. Sicut de viro ſucceſſore reſpectu univerſorum votorum dixi diſp. præcedenti, n. 3.

17 Imo id poterit, quamvis de licentia prioris uxoris aut mutuo conſenſu facta ſint, omnia enim illa, quæ non obſtante eo conſenſu poterat prior uxor irritare, juxta dicta n. 13. & 14. poterit ſubſequens uxor, utpote quæ in eamdem poteſtatem ſuccedit, irritare: ſi adſit juſta cauſa, licite, illa deficiente, illicite, ſed valide, ut de viro ſucceſſore reſpectu omnium votorum dixi diſp. præc. n. 17. 18. & 20. & poterit ad libitum ſuſpendere, ut ibi dixi de viro n. 16.

18 Ultimo infertur, vota ante matr. facta non poſſe uxorem perfecte irritare, ita ut ſoluto matr. non reviviſcant: at poſſe ſuſpendere illorum executionem, ſi damnum ſibi inferant, & proinde tunc non obligabunt, donec ſolvatur matrim. Sicut de viro reſpectu omnium votorum uxoris diximus diſp. 39. n. 23. & 39. & ut ibi diximus, uxore concedente poſtea licentiam; tenebitur vir ad vota, utpote quæ non extincta, ſed ſuſpenſa duntaxat erant. Cum enim uxor non habeat perfectum, & abſolutum dominium illius materiæ, erat enim ante ſubjectionem Deo conſecrata, ſed ſecundum quid, inde eſt, ut nequeat perfecte irritare, ſed ſolum ſuſpendere, juxta doctrinam quam tradidimus d. diſp. 39. n. 34. Atque hujus ſent. videntur *Ant. c. Scripturæ, de voto n. 3. & ibi Abbas nu. 8. Anch. nu. 14. Roſel. Votum 2. nu.* 10. ubi ajunt neutrum conjugem, teneri vota exequi, alio contradicente.

Ad argumenta n. 1. propoſita conſtat ex dictis num. 2. in 19
ſecunda ratione.

DISPUTATIO XLIII.

Utrum cenſeatur vir irritare vota uxoris, vel uxor viri, & generaliter ſuperior inferioris, cum conſcius voti, dicit ſe nolle ut ſubditus id quod vovit, faciat: vel præcipit oppoſitum? Ut ſi uxor de licentia viri faceret votum non petendi nec reddendi, & vir petat debitum? Et quando ſuperior ignorat votum, ſit ei detegendum?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio dubitandi, num. 1.
Non eſt irritatio voti, ubi ſuperior illius ignarus, prohibet executionem, aut licentiam petitam ad exequendum denegat: & ita adhuc votum ligabit, 2.
An ſufficiat petere licentiam ad implendum rem promiſſam, tacito voto, ut pro tunc excuſetur ſubditus ab impletione. Refertur opinio, 3.
Subditus vovens rem, quam implere nequit abſque licentia, tenetur petere licentiam ad implendum, 4
Quid, ſi materia tempore voti erat permiſſa, & poſt prohibetur, 5.
Quid, ſi ſubditus ignorabat rem eſſe vetitam, vel deſiderari licentiam ad implendum illud votum, 6.
Non tenetur ſubditus vovens rem, quam abſque ſuperioris licentia exequi nequit, explicare votum ſuperiori, ut pro tunc excuſetur, 7.
An ſi ſuperior voti ignarus denegat licentiam ad tempus, vel in perpetuum, teneatur ſubditus iterum illam petere: vel maneat liber a voti obligatione, 8.
Quando votum eſt in temporis honorem, an ſi ſuperior inſcius voti prohibeat eo tempore materiam, ſit ſubditus omnino liber, ita ut ſuperiore iterum concedente licentiam, non teneatur ad votum: nec teneatur illud manifeſtare ſuperiori, 9.
Quando cenſeatur voti irritatio, ſuperiorem conſcium voti prohibere materiam, vel non concedere licentiam ad exequendum, vel oppoſitum præcipere, 10.
Solvuntur argumenta, 11.

Videtur non eſſe irritationem, quando ſuperior voti con- 1
ſcius contradicit, dicens ſe nolle, ut ſubditus impleat. Quia *Num.* 30. poſt ſcientiam, & contradictionem ponitur irritatio, ibi: *Sin autem audiens votum ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes*. Non ergo ſunt idem, ſcire ſuperiorem, contradicereque & irritare. Secundo, quia hæc verba, Nolo, ut facias, a ſuperiore prolata, ſunt ambigua, poſſuntque commode, & proprie accipi, vel de voti ſuſpenſione, vel de ejuſdem irritatione. Ergo dum amplius non conſtat de ſuperioris mente; accipienda ſunt, ut ſolum ſuſpendat. Cum enim votum ſit in obligandi poſſeſſione, ea privandum non eſt in dubio. Et confirm. quia ſuperior æque finem intentum, nempe, ne ſubditus exequatur, comparat, ſive irritet, ſive ſuſpendat.

Prima concluſio. Non eſt irritatio voti ubi ſuperior illius 2
ignarus prohibet materiam promiſſam, aut petitam licentiam ad exequendum denegat. Conſtat, quia irritare votum eſt actus juriſdictionis, & conſequenter non efficitur, ubi non eſt volitus, quod contingit in tali materiæ prohibitione. Cum enim voluntas ferri nequeat in objectum incognitum, non vult votum penitus ignoratum irritare. Atque ita docent *Caj. 2. 2. q. 88. ar. 8. dub. 2. §. Ad objectionem vero, & ſum. v. Votum, c. de quatuor conditionibus, ex parte voventis requiſitis, §. Imperfectio autem ætatis, Armilla v. Votum, n. 7. Sotus l. 7. de juſt. q. 3. ar. 1. col. 8. verſ. At vero rurſus, Nav. ſum. cap. 12. n. 69. Alcozer ſumm. cap.* 16. ubi de voti irritatione in genere, *concl. 3. fin. Angl. Flor. 2. p. q. de voto, ar. 7. diffic. 3. Arag. 2. 2. q. 88. ar. 8. diffic. 1. concl. 3. Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 6. de voto, punct. 6. q. 2. Manuel 2. tom. ſumm. c. 89. n. 3. Lud. Lop. 1. p. inſtr. cap. 48. §. Vota religioſorum, Graff 1. p. dec. l. 2 c. 29. n. 7.*

Sed dubitabis, num ſufficiat petere licentiam a ſuperiore 3
votum exequendi, eo tacito, ut ſuperiore negante licentiam, voti tamen ignaro, cenſeatur pro tunc votum ſuſpenſum, atque adeo ſubditus ab impletione excuſetur? Quidam cenſent id non ſufficere, ſed teneri ſubditum detegere votum ſuperiori, petereque ab eo licentiam illud exequendi, ubi ſine licentia impleri nequit. Ut ſi religioſus aut uxor peregrinationem voveat. Quia tenetur petere licentiam ut votum illud exequatur, & quantum in ſe eſt, ad id operam ſuam adhibere. Ergo tene-

tenetur ad hoc medium, quod eſt certius. Nam facilius ſuperior voti conſcius licentiam concedet, quam forte negaret illius ignarus. Sic tenent *Cajet. ſumma verb. Votum, c. de conditionibus quatuor ex parte voventis, §. Imperfectio autem ætatis, Sotus, Armilla, Angles diffic. 2. allegati num. præced.* & hoc dicit eſſe tutius *idem Cajet. 2. 2. quæſt. 88. ar. 8. dub. 2. fin.* aitque hoc eſſe regulariter amplectendum. Idem tenet *Graffis 1. p. dec. lib. 2. cap. 27. num.* 2. & dicit eſſe conſultius *Lud. Lop. 1. p. inſtruct. cap. 48. §. Utrum quando, &* appellant tutius, illud ſequentes, *Valentia, Aragon. concl.* 1. quos n. præced. retuli.

4 II. Concluſio ſit. Subditus emittens votum rei, quam abſque ſuperioris licentia exequi nequit, tenetur ex vi ejuſdem voti, antequam ſit in mora illud implendi, petere a ſuperiore licentiam exequendi rem promiſſam, niſi voti irritationem petat, & in hac concluſione convenimus cum ſententia allegata n. præc. & ultra DD. ibi relatos, eam tenent *Manuel 2. tom. ſumm. cap. 89. num. 3. Vega 2. to. ſum. cap. 129. caſu 90.* Idem videtur tenere *Silv. Votum 3. qu. 3. d. 5.* aſſerentes ſubditum teneri facere quod in ſe eſt, ut impleat votum rei prohibitæ: & conſonat, quod docent *Pal. 4. d. 38. qu. 4. ar. 2. concl. 3. num. 21. D. Ant. 2. p. t. 11. c. 2. §. 6. verſ. Primo ergo, Silv. Votum 3. q. 1. num.* 1. nimirum, Epiſcopum promittentem ingredi religionem, quod ſine Pontificis licentia exequi non poteſt, teneri petere ab eo licentiam exequendi. Et probatur, quia cum votum illud impleri nequeat abſque ſuperioris licentia, vanum & irriſorium eſſet, niſi obligaret ad eam licentiam poſtulandam. Deinde, quia obligans ſe ad aliquem finem, ſubinde obligat ſe ad ea remedia, ſine quibus finis ille comparari nequit, ne vana ſit ea promiſſio.

5 Temperant aliqui concluſionem (& bene) ſi materia eſſet prohibita, nec abſque licentia poſſet mandari executioni, tempore quo votum factum eſt, ſecus quando tunc erat permiſſa, nec opus erat licentia ad exequendum, & poſtea ſuperior prohibet; ut ſi religioſus aut uxor voveat jejunium aut preces aliquas, & mox ſuperior aut vir voti ignarus prohibeat, tunc enim ſubditus non tenetur ex vi voti petere licentiam, licet prohibitio non ſpecialiter dirigatur ad ipſum, ut ſi dicat ſuperior, Nolo ut aliquis jejunet, me inconſulto. Ratio eſt, quia votum non obligat ultra voventis intentionem, tacitam aut expreſſam; at nec tacita nec expreſſa voventis intentio fuit, obligandi ſe ad petendam eam licentiam, utpote quæ neceſſaria minime erat. Quare excuſabitur ſubditus ab eo voto implendo, durante ſubjectione illi ſuperiori, & prohibitione: reviviſcet autem obligatio ceſſante ſubjectione illi ſuperiori, aut ceſſante prohibitione. Quia votum illud non erat irritatum: juxta dicta nu. 3. ſed ſuſpenſum. Sic *Aragon. 2. 2. qu. 88. ar. 8. diffic. 1. concl.* 3. aliquantulum confuſe dicunt *Man. 2. tom. ſum. cap. 89. num. 3. Vega 2. to. ſum. cap. 129. caſu 90.* qui Duo bene limitant, niſi quando ſubditus vovit, intenderet ſe obligare non obſtante prohibitione futura prælati: tunc enim ea ſecuta, tenebitur petere licentiam, ſicut diximus num. præc. teneri, quando prohibitio præcedit votum. Quia cum tunc votum non poſſit impleri ſecuta prohibitione, niſi petita licentia, vovens, quia in eo eventu voluit ſe voto aſtringere, conſequenter voluit medium neceſſarium, quale eſt licentiam petere.

6 Hinc ſequitur temperandam ſimiliter eſſe concluſionem, ut cum tempore voti emiſſi materia erat prohibita, teneatur ſubditus petere licentiam: ſi ſubditus norat rem illam eſſe prohibitam, vel non poſſe abſque licentia impleri: ſi enim id ignorabat, non tenetur petere licentiam. Quia cum voluntas non feratur in objectum incognitum, non fuit tunc intentio etiam tacita obligandi ſe ad petendam licentiam. Imo (ut bene docent *Aragon, & Vega num. præced. allegati, & Manuel 2. to. ſum. cap. 89. num. 2.*) id votum non obligat, ſi taliter affectus eſſet ſubditus, ut ſi noſſet prohibitionem, minime voviſſet. Quia ignorantia & error voluntatem auferunt. *l. Si per errorem 15. ff. de juriſd. omn. judicum*. Quando autem eum effectum non habuit, ligabit votum, at non tenebitur ſubditus licentiam petere, ob rationem dictam: ſed ceſſante poteſtate illius ſuperioris, aut prohibitione, ad illud implendum, tenebitur.

7 Tertia concluſio. Quamvis ut votum vere irritatum maneat, deſideretur notitia voti in ſuperiori irritante: ut tamen non extinguatur, ſed ſuſpenſa maneat obligatio voti, & excuſetur ſubditus ab ejus impletione, dum ſibi denegatur licentia implendi, & durat prohibitio, ſatis eſt ut tacito voto, petat ſubditus licentiam implendi, eaque minime ſibi concedatur: nec tenetur votum manifeſtare ſuperiori, quo facultatem exequendi tribuat. Hæc eſt contra DD. allegatos nu. 3. ſed probatur, quia vovens ſolum obligatur ad implendam conditionem incluſam in voto, & qua poſita, manet integrum, & validum totum votum. Id enim duntaxat virtute clauditur in voluntate promittendi: ſed hanc ſatis implet petendo licentiam, tacito voto. Quia conditio ſubintellecta in voto ea eſt, ſi ſuperior permiſerit. Ergo ad nil amplius tenetur. Et confirm. quia vovens non tenetur efficere totum, quod in ſe eſt, quo votum impleat, ſed id ſolum ad quod ſaltem tacite & virtute ſe aſtrinxit per votum. At vovens rem prohibitam non ſubinde ſe obligavit ad detegendum ſuperiori votum, ſed duntaxat ad petendam exequendi licentiam. Quod vel eo conſtat, quia in voluntate promittendi non includitur virtute voluntas obligandi ſe ad omne medium conferens, ut res promiſſa ſit apta materia voti, ſed ad media communia, & natura ſua ſufficientia ad id, quale eſt petere licentiam, etiam tacito voto. Et ideo hanc ſent. tuentur *Caj. 2. 2. q. 88. ar. 8. dub. 2. §. Ad hoc dicitur, Navar. ſumm. c. 12. n. 69. Canus* quem refert dicens hoc eſſe probabile, *Lud. Lop. 1. p. inſtr. cap. 48. §. Utrum quando*. Et communiter Neoterici hanc partem ſequuntur.

Quarta concluſio. Subditus qui vovit rem ad quam explen- 8
dam deſideratur licentia ſuperioris, & ſemel petit, eſtque ſibi denegata, tenetur, quando prudentia ſuadebit, iterum petere, aut manifeſtare votum quo irritetur. Quia cum votum illud ſuperiori incognitum, adhuc ſemel negata licentia vim obligandi habet, utpote quod non irritatum, ſed ſuſpenſum duntaxat erat: obligabit ad petendam iterum implendi licentiam, quando prudentia dictaverit tempus eſſe opportunum. Quia obligatio petendi licentiam extenditur ad tantum tempus, ad quantum ſe extendit obligatio illius voti, unde cum hæc duret, durabit & illa. Sic *Cajet. ſumm. v. Votum, c. De 4. conditionibus requiſitis ex parte voventis, §. Imperfectio autem ætatis, Armilla, v. Votum, nu.* 7. Unde ſi licentia non fuit denegata in perpetuum, ſed pro termino certo, eo tranſacto tenebitur iterum petere. Quod ſi aliquis prælatus aut ſuperior omnino, & ſimpliciter negaret illi ſubdito licentiam dicens ſe nolle ut unquam impleat: dicunt aliqui Neoterici, non teneri eum amplius petere licentiam ab eo, vel a ſuperiori ſucceſſore. Ducuntur, quia non videtur illum teneri niſi ad petendam ſemel licentiam pro toto tempore, quo votum obligat, id enim ſatis eſt ut illa materia promiſſa, ſit apta voto emittendo. Item quia cum materia ſit prohibita abſolute & omnino, non obligat amplius votum, non quidem per ipſius irritationem, hæc enim non eſt niſi voto cognito, ſed per ſubtractionem materiæ. Sed cum *Cajet. & Armilla proxime citatis*, dicentibus abſque hac diſtinctione eſſe iterum petendam licentiam, ſentio. Quia cum ea prohibitio ſuperioris, non ſit per modum conſtitutionis, non eſt perpetua: ſed ceſſante illius ſuperioris poteſtate, ejus mandatum extinguitur, ut bene docent *Silv. v. Mandatum, q. 3. fin. Aragon. 2. 2. quæſt. 88. ar. 8. diffic. 1. concl.* 3. Quare votum, quod tantum ſuſpenſum erat, reviviſcet finita ea ſubjectione, unde ſicut nulla alia ſubjectione ſuccedente, obligabit ſtatim votum, ita ſuccedente alio ſuperiori, obligabit ad iterum petendam licentiam. Quia in utroque eventu ceſſat impedimentum. Et confirmatur, quia illa prohibitio eſt temporalis tantum, nempe, pro tempore ſubjectionis illi ſuperiori, & obligatio petendi licentiam durat, dum voti obligatio non eſt extincta. Conſtat autem in hoc caſu non eſſe extinctam obligationem. Quia eo ſuperiori concedente licentiam, rurſus votum obligabit. Tandem, quia non eſt verum ſatis eſſe ſemel petere licentiam, ut materia illa promiſſa ſit apta voto emittendo, cum enim votum ſemel negata licentia, vim obligandi retineat, ſubinde obligabit, ut curetur iterum petita licentia, ceſſante impedimento illo, materiam fieri aptam.

Id tamen monuerim. Quoties tota hac diſputatione dixi 9
petendam eſſe iterum licentiam, votumque ceſſante prohibitione reviviſcere: id accipiendum eſſe, niſi votum ſit in honorem temporis, ejuſque onus. Tunc enim tranſacto tempore obligationis, extinguitur omnino votum, non per irritationem: ſed quia ejus obligatio erat tempore illi annexa, v. gr. vovit uxor jejunare Vigilia Corporis Chriſti: cum vir prohibuerit antea jejunium, vel vovit peregrinationem Romanam anno ſancto Jubilæi, petivit licentiam tacito voto, eamque vir denegavit, non tenetur ea die jejunare, nec illo anno peregrinari, ſi duret adhuc matrimon. nec iterum petere licentiam. Quia denegata eſt pro toto tempore obligationis, & tranſacto eo tempore jam extinctum eſt votum. At ea non fuit irritatio, quæ ab ignorante numquam efficitur (ut dixi numer. 2.) quare ſi intra eamdem diem, cum poſſit adhuc jejunari, vel intra eumdem annum, remanente ſufficienti temporis ſpatio ad peregrinationem illam commode peragendam, vir concederet licentiam, obligabit votum. Quod ſecus eſſet, ſi per irritationem eſſet extinctum.

Tandem videndum eſt, quando prohibitio materiæ fa- 10
cta per ſuperiorem, voti ſubditi conſcium ac memorem, ſit irritatio, quandove ſuſpenſio. Qua in re ſic diſtinguendum arbitror. Si prohibitio illa materiæ fuit in perpetuum, qualis eſt, Nolo ut unquam facias; eſt manifeſta irritatio. Quia nullo modo ſortiri poſſet ſuum effectum voluntas illa, niſi votum irritando. Si enim eſſet ſola ſuſpenſio, ceſſante ſuperioris illius poteſtate, reviviſceret obligatio. Imo idem ajo, ſi ſic diceret ſuperior, Nolo ut facias, Quia cum prolatio negativa abſque temporis limitatione ſit, comprehendit omne tempus: juxta regulam Logicam: Negatio eſt malignæ naturæ, quæ quidquid poſt ſe invenit, deſtruit. Item, quia vota ſubditi habent tacitam conditionem, ſi ſint de rebus licitis, ipſis niſi ſuperior contradixerit: ſi autem de prohibitis, ſi ſuperior licentiam conceſſerit (ut de mente D. Thomæ explicat bene *Cajet. 2. 2. quæſtion. 88. ar. 8. dub.* 1. quem reliqui Theologi ſequuntur) Sed in caſu præſenti, quando ſuperior voti conſcius ac memor, dicit ſubdito, ſe nolle ut impleat, ceſſet prorſus conditio ſubintellecta in voto, & ex certa ſcientia ſuperioris potentis irritare,

Ergo vere irritat. Deinde, quia idem colligitur ex *c.30. Num.* ibi: *Sin autem ſtatim ut audierit, contradixerit pater, & vota & juramenta ejus irrita erunt.* Ubi ſola contradictio reputatur irritatio voti. Et hujus ſent. videntur *Cajet. ſum Votum, cap. de conditionibus quatuor ex parte voventis requiſitis, §. Imperfectio autem ætatis: & ibi Armilla n. 7.* ubi hæc dicunt: *Quando ſubditus fecit votum de prohibitis, & manifeſtat ſuperiori votum, ſi illi placet, tenetur exequi; ſi non placet, irritum eſt votum.* At ſatis indicat ſuperior diſplicentiam, dicens ſubdito, ſe nolle ut faciat. Et clarius *Armilla eo verb. Votum n* 12. ubi hæc ait: *Sat eſt voluntas irritantis, & nolentis votum valere. Ut ſi vir dicat uxori, Nolo ut facias tale quod voviſti, ſtatim votum non valet.* At quando ſuperior non ita abſolute explicuit ſuam voluntatem: ut ſi ita dicat: Nolo ut pro nunc facias: quod vulgo dicimus, *Dexad lo pet aora:* non videtur irritatio voti, ſed ſuſpenſio. Quia irritatio non eſt ad tempus, ſed in perpetuum caſſat obligationem. Deinde, quia poteſt finis intentus obtineri, nempe, ut ille pro tunc excuſetur a voti impletione, & ſuperior præcipiens non peccet, ſuſpendendo duntaxat votum. Quare verba illa, ſi aliquantulum dubia ſint, interpretanda ſunt in voti favorem, ut illud quam minime fieri poſſit, lædant. Ne in dubio privetur poſſeſſione obligandi, in qua eſt. Unde fit ut in hoc eventu, ſi votum illud non ſit onus temporis, teneatur ſubditus eo tempore tranſacto, aut votum implere, ſi ſit de re permiſſa: aut petere licentiam ad implendum, ſi de re prohibita ſit. Si autem ſit onus temporis, non tenebitur, niſi intra tempus implendi, ſuperior licentiam concedat, juxta dicta n. præcedenti. Quod ſi ſuperior facto ipſo veniat contra votum ſubditi, quod irritare poteſt, memor voti illius, aut ſi immemor, admonitus, & actu illo momentaneo frangi debeat a ſubdito parente præcepto ſuperioris, cenſetur pro illa ſola vice irritare, ſi votum habeat tractum ſucceſſivum, ut ſi vir fecerat copiam uxori vovendi omnimodam caſtitatem, quoad petitionem & redditionem, & mox voti memor, debitum petat, non eſt irritatio abſoluta voti illius, ſed pro illa vice; & melius adhuc dicitur eſſe ſuſpenſionem voti, & ita illa vice uxor reddens non peccabit, ſive vir peccarit ſuſpendendo, aut irritando quia defuit cauſa, ſive non peccarit (ut diximus diſp. 36. n. 7.) Dixi autem potius eſſe ſuſpenſionem. Quia ſuſpendendo conſequitur vir ſuum intentum, nempe, ut mulier ei reddat abſque peccato: & minus læditur obligatio voti. Quia ſi eſſet irritatio, ſtatim ac vir petiit debitum, non obligaret votum, licet vir deſiſteret: at ſi eſt ſuſpenſio, obligaret utrique. Sed dices, quorſum dediſſet licentiam illam vovendi omnimodam caſtitatem, etiam quoad redditionem, ſi quoties vir petit debitum, cenſetur irritare, aut ſuſpendere votum pro illa vice: & ſic uxor tenetur reddere? Dic deſervire ad hoc, nam data ea licentia, non eſt viro integrum abſque cauſa juſta petere, & ita revocare votum pro illa vice, ſed peccabit mortaliter, quamvis factum teneat (ut diximus diſp. 40. n. 17.) quod ſecus eſſet, ubi abſque ſua licentia factum eſſet.

31 Ad argum. n. 1. propoſita reſp. Ad 1. dic illud verbum, *& irritas fecerit promiſſiones*: declarare verbum præcedens, *contradixerit*, quaſi dicat Scriptura ſacra, eſſe irritationem, ſi vir contradicat: & ita paulo ante dixerat, *Sin autem contradixerit pater, & vota & juramenta irrita erunt.* Ad 2. confir. conſtat ex dictis n. præcedenti, ubi enim eſt ſola materiæ prohibitio ad tempus, & verba ſint ambigua, obtinetur intentum ſuſpendendo: & ita eſt ſola ſuſpenſio: ubi autem prohibitio eſt abſoluta, ſecus eſt (ut ibi explicui) & ideo eſt irritatio.

DISPUTATIO XLIV.

Utrum delectationes moroſæ in actu conjugali cogitato tanquam præſenti, quando alter conjux eſt abſens, aut non eſt animus habendi copulam, tactus, aſpectus, confabulationes turpes inter conjugatos, ſecluſo pollutionis periculo, licita ſint: quamvis ob impotentiam, vel aliquod impedimentum, non liceat illis, actui conjugali vacare?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones ſint diſputandæ, num. 1.
An extra actum conjugalem liceat conjugibus delectari in illo, tanquam præſenti cogitato. Refertur quædam opinio, 2.
Non eſt mortale ſic delectari, 3.
Quid, ſi adſit commotio, & alteratio in parte ſenſitiva, 4.
Eſt culpa venialis, 5.
Quid ſi conjux in copula dirigat cogitationem ad aliam feminam? remiſſive, 6.
Solvuntur argumenta, 7.
Tactus licent conjugibus, quando referuntur ad copulam; ſecluſo periculo pollutionis, n. 8. *& ibidem, quando ad vitandam fornicationem.*
Si intendatur major voluptas in copula, ſunt culpa venialis, 9.
Oſcula & amplexus non relata ad copulam, ſed tanquam amoris indicia, ſunt conjugibus licita, 10.
Quid, ſi nullo modo tactus referantur ad copulam. Refertur opinio, 11.
Adhuc non ſunt culpa lethalis; ſed venialis, niſi ad vitandum in ſe vel in alio fornicationem, 12.
Quid, de aſpectibus, & verbis turpibus inter conjuges, 13.
Quid, ſi vir intromittat membrum in os feminæ, vel in vas præpoſterum, non animo ibi conſummandi, vel tangat membro ſuperficiem illius vaſis. Remiſſive, n. 14. *& ibi remiſſive, quando in loco ſacro, vel coram aliis.*
Quid, de conjuge ſemetipſum tangente. Refertur quædam opinio, 15.
Sententia Authoris, 16.
Quid, ſi ſe tangat, ſciens fore ut præveniat ſemen femineum, vel femina quæ nondum ſeminarat, ſe tactu provocet, ubi vir membrum extraxit. Remiſſive, 17.
Solvuntur argumenta, 18.
An quando ratione impedimenti non eſt licitus actus conjugalis, liceant delectationes & tactus. Refertur duplex ſententia, n. 19. *&* 20.
Licita ſunt, quoties ab extrinſeco, & per accidens, ut ob periculum ſalutis, abortus, vel ob aliam cauſam, quæ ex ſe copulam non prohibeat, illa eſt illicita, 21.
Quid, ubi impotentia ſuperveniet matrimonio, 22.
Quid, quando ratione affinitatis, aut cognationis interdicta eſt copula, 23.
Quid, quando eſt dubium de valore matrimonii, 24.
Quid, quando uterque conjux, vel alter voto caſtitatis eſt aſtrictus, 25.
Quid, ſi alter aut uterque conjux voverat ſe non petiturum, 26.
Solvuntur argumenta, 27.

1 HActenus egimus de actu ipſo conjugali, quando liceat necne. Jam de moroſis delectationibus, tactibus, aſpectibus, turpibuſque confabulationibus inter conjuges, agendum eſt. Et in præſenti diſp. quando non eſt pollutionis periculum: in ſeq. vero, ubi id periculum reperitur. Triplex ergo involvitur quæſtio hic diſputanda. Prima de delectationibus moroſis inter conjuges. Secunda de tactibus, aſpectibus, confabulationibuſque turpibus inter ipſos. Tertia de omnibus his inter ipſos, quando impediti ſunt nec coire poſſint.

2 Quæſtio prima. Utrum liceat conjugibus moroſe delectari ſecluſo pollutionis periculo, in copula cognita tanquam præſenti, dum abſentes ſunt, aut eo tempore, & in loco, in quo copulam exercere non poſſunt? Aliqui cenſent eſſe copulam mortalem. Ducuntur, quia delectatio venerea non intenta ob bonum prolis, nec in ipſum relata, omnibus interdicitur ſub culpa lethali. Et confirmatur, quia ea delectatio eſt quaſi incepta ſeminis effuſio, ad illamque tendit: cum ipſam comitetur membrorum generationi inſervientium commotio. Hæc autem eſt lethalis extra copulam conjugalem. Secundo, quia de ſimilibus idem eſt judicium, & idem juris in illis obtinet, *c.2. de tranſl. Epiſcopi, verſ. Sicut autem Epiſcopus*, ubi *gl. verb. Idem juris*, adducit alios textus concordantes. At in vidua ea delectatio eſt mortalis: ergo & in conjuge: ubi non eſt opportunitas, & voluntas copulæ habendæ. Eadem enim eſt ratio, cum neutra delectatio in copulam licitam referatur. Sic docent *Silv. v. Delectatio q. 2. Nav. c. Sicui, de pœnit. d. 1. n. 6. & ſum. c. 16. n. 10. Petr. de Soto* (quamvis ſubobſcure, nec explicans eſſe mortale) *l. de inſt. ſacerd. tract. de diſcrimine peccat. lect. 9. §. pen. Cordub. l. 1. quæſtion. q. 23. dub. 12. fi. Lud. Lop. 1. p. inſtr. cap. 75. §. Hinc perſpicuum, Manu. Rodriquez tom. 1. ſum in 2. edit. cap. 212. num. ult. & Nider ſum. præcep. 9. c. 4 dub. 5. Philiarc. de offic. ſac. t. 1. par. 2. l. 4. c. 18. Emm. Sa ſum. v. Luxuria, verſ. Delectatio de peccato, Vega 1. t. ſum. c. 81. caſu 2. fine.* Addit *Silv.* idem eſſe, quando conjux, qui ſic delectatur, non habet animum accedendi ad conjugem. Quia eadem militat ratio. At fatetur licitam eſſe delectationem, quæ eſt in voluntate, dummodo non tranſeat ad partem ſenſitivam. Et *Nav. & Corduba* dicunt idem eſſe, ſive ea delectatio moroſa ſit de copula habita, ſive de habenda, cogitata quaſi præſenti.

3 At multo verius eſt non eſſe culpam lethalem. Primo, quia conſenſus in delectationem nequit gravior eſſe culpa, quam conſenſus in actum de quo capitur, teſte *D. Aug. l. 12. de Trinit. cap.* 12. *t.* 3. Et conſtat, nam talis eſt delectatio, quale objectum, ut docet *Ariſt. l. 10. Ethicor. cap. 4. & 5.* ſed copula de qua eſt ea delectatio, eſt licita inter conjuges. Ergo ex hac parte non eſt culpabilis delectatio. Quod ſi deſideretur debitus finis talis delectationis, nempe, bonum prolis per copulam conjugalem intentum: defectus finis debiti ſolam culpam venialem conſtituit (ut diximus diſp. 8. num. 8.) Non ergo eſt culpa lethalis. Secundo, quia ſicut matr. efficit ne tactus extra copulam, & ad illam non relati, ſint culpa lethalis (ut dicemus n. 12.) ſed ſola venialis, defectu legitimi finis: ita idem efficit circa delectationem ſenſitivam copulæ cogitatæ ac præſentis. Quia eadem eſt ratio. Tandem, quia *D. Chryſ. hom. 17. in Matthæum, in ea verba, Qui viderit mulierem*, admittit licitum eſſe delectari aſpectu uxoris præſentis, etiam abſque animo copulæ habendæ. Ergo non erit mortale delectari cogitatione uxoris abſentis. Cum enim utrobique delectatio ad copulam non referatur, quæ ſola poſſet eſſe ratio culpæ lethalis: nil refert præſentem, abſentemve eſſe uxorem. Et ideo hujus ſent. videtur aperte *D. Th. q. 15. de malo, ar. 2. ad* 17. ubi abſolute ait non eſſe mortalem hanc delectationem in conjugatis, ſicut nec ipſum actum, quamvis non explicet an in abſentia. Tenentque expreſſe *Palud. 4. d. 9. q. 3. art. 1. n. 7. Gerſon. 2. p. tr. de pollut. diurna, notab. 7. alphab. 38. lit. D. Cajet. ſumm. verb. Delectatio moroſa, §. Secundum, an delectatio, verſ. Tertio quod vir, & 1. 2. q. 74. ar. 8. circa ſolut. ad 4. D. Ant. 2. p. t. 5. c. 1. §. 6. fine, Roſella, v. Delectatio, n. 3.* ubi *Armilla n. 4. Tab. v. Cogitatio moroſa, fine, & verb. Luxurioſus, q. 8. §. 9. Viguer. l. inſtit. cap. 3. §. 5. verſ. 5. ad fin. Nieva ſum. tit.* 105. *ad fin. Metina* 1. 2. *q.* 74. *ar.* 8. *ſtatim in principio, & ibi Zumel. diſp. 4. dub. 3. ad finem, & ibi Vaſq. diſp. 113. n. 2. & 3.* & communiter Neoterici.

4 Idem aſſerendum eſt, quamvis ex ea delectatione conſurgeret membri pudendi commotio & alteratio, abſque pollutionis periculo. Non enim eſſet culpa lethalis, conſenſus in illam. Quia matrim. excuſans a culpa mortali delectationem ſenſitivæ partis, ſubinde quoque excuſat commotionem illam naturaliter ex ipſa conſurgentem. Ita *Vaſquez d. diſp.* 113. *n.* 4.

5 Eſt autem culpa venialis, conſenſus in eam delectationem. Quia caret debito fine, ad quem actus conjugalis a natura ipſa dirigitur, ut explicui n. 3. & ita ſentiunt *Palud. num. 6. Cajet. in ſum. Metina, Zumel, Vaſq. 1. 3. ibid. citati.*

6 Qualis autem culpa ſit, dum conjux in copula cogitationem dirigit in aliam feminam? dixi diſp. 17. n. 6.

7 Ad arg. nu. 2. propoſita reſp. Ad 1. dic antecedens eſſe verum, ubi non adeſt matr. eam delectationem veneream a culpa mortali excuſans, vel illa capitur in cogitatione concubitus non conjugalis cogitati. Ad confir. dic ordinari ad coitum cum proprio conjuge, & ſeminis emiſſionem intra legitimum vas: atque id ſufficiens eſſe, ne ſit mortalis culpa, quamvis tunc copula non poſtea haberi. Ad 2. diſparitas eſt manifeſta. Quia viduę eſt tunc prohibitus coitus, & ſubinde delectatio ſenſitiva cogitationis illius: & deficit matrim. quod utrumque excuſat, quæ ſecus ſe habent in conjugatis.

8 Quæſtio II. An tactus, aſpectus, & verba turpia inter conjuges, licita ſint, ſecluſo pollutionis periculo? Aliquæ concluſiones ſunt certiores. Prima concluſio ſit. Quando tactus non quæruntur propter voluptatem, ſed ad præparandum ſe ad copulam conjugalem, vacant culpa. Quia licitum eſt juvare naturam ad actum conceſſum: ordinaturque in finem natura ipſa tactibus deſtinatum, & ob quem in ipſis voluptatem conſtituit. Atque ita fatentur *Palud. 4. d. 31. quæſt. 3. ar. 2. n.* 17. ubi *Majoris, q. un. argum. contra 6. concl. Suppl. Gabr. ibi, q. un. ar. 3. dub. 2. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 20. §. 6. Silv. verb. Debitum, q. 9. n. 7.* ubi *Roſella n. 11. Armilla n. 8. Cajet. ſum. verb. matr. c. ult. §. ult. Victor. ſumm. de matr. num.* 274. *Sotus 4. d. 31. q. un. ar. 4. fi. Graffis 1. p. dec. lib. 2. c. 82. n. 21. Petr. de Led. de matr. q. 49. ar. 6. fin.* Idem dicendum eſt, ſi conjux hic tactibus utatur ad ſedandum carnis tentationem, vitandamque fornicationem in ſe vel in ſocio. Quia finis eſt bonus, & ad ipſum ordinatur matr. Sic *Palud. D. Ant. Roſel. Silv. ibidem.*

9 Secunda concluſio. Si tactus illi referantur ad majorem voluptatem in ipſa copula captandam, ſunt culpæ veniales. Quia & copula ipſa conjugalis ob eum finem exercita, venialis eſt (ut dixi diſp. 11. n. 4.) Sic *Palud. D. Ant. Silv. Sotus, Petr. de Ledeſma, citati n. præc.*

10 Tertia concluſio. Si in oſculis, & amplexibus nullus alius finis intendatur, quam mutui amoris indicia ſibi ipſis conjuges præbere, nulla eſt culpa. Quia hujuſmodi tactus ad id quoque a natura inſtituti ſunt. Sic *Sotus, Petr. de Ledeſm. Graffis n. 8. allegati.* Et conſtat, quia ſponſis de futuro ſunt ſic liciti, ut diſp. 46. n. 51. dicam.

11 Punctus autem difficultatis eo pertinet, an tactus inter conjuges ob ſolam voluptatem in ipſis captandam, abſque animo perveniendi ad copulam, ſint mortale peccatum? Affirmant quidam, quoniam omnis actus venereus non relatus ad copulam, eſt mortalis. Sic docent *D. Ant. Silv. citati num.* 8. *Margarita conf. 6. præcep. fol. 88. caſu 7. Humada ſuper l. 2. t. 1. p. 1. gl. 12. n. 1. & Silv.* id tribuit *Paludano*: ſed immerito, quia *Palud. n. 8. relatus* loquitur quando eſt pollutionis periculum. Et hos tactus quando valde ſunt impudici & enormes, eſſe mortales aſſerit *Alex. in ſuo Enchir. præc. 6.* ubi de tactibus impudicis, *§. Si in propria.*

12 At proculdubio dicendum eſt, ſolam eſſe culpam venialem. Quia voluptas illa venerea non quæritur extra matr. ſed in actu ſuapte natura ordinato ad matr. actum. Quare ſicut matr. excuſat actum copulæ inter conjuges a culpa lethali, ita ſimiliter excuſabit tactus illos: & ſola manebit culpa venialis indebiti finis (ut de moroſa delectatione dicebam n. 3.) atque ita docent *ver. Debitum, n.* 12. ubi *Arag. n. 26. Armil. nu. 8. & verb. Impudicitia, n. 3. Cajet. 2. 2. q. 154 ar. 4. §. 4. In reſponſ. ad 2. & ſum. v. Impudicitia, & v. Matr. cap. ult. §. ult. Abul. c. 5. Matth. q. 197. Victor. Sot. Graff. citati n. 8. Met. l. 5. de ſacr. hominum contin. c. 77. Barth. de Led. de matr. dub. 28. fin. Vaſq. 1. 2. q. 74. ar. 8. d. 113. num. 3. & 4. Nieva ſum. tit. 87. & 90. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 249. n. 9. Viv. candelab. ſacram. 1. p. de matr. n* 260. Et idem docent alii, generaliter, & indiſtincte tactus inter conjuges a lethali culpa excuſantes, quoties non adeſt pollutionis periculum. Hi ſunt *Led. 2. par. 4. q. 51. ar. 6. prop. 8. Ovand. 4. d. 31. q. un. prop. 3. Ang. Florib. 1. p. de matr. q. 5. de bonis illius, in fi. Met. l. 1. ſum. c. 14. §. 18. Emm. Sa ſum. v. Luxuria, §. Oſcula, & tactus.* Quando autem non voluptas, ſed evitatio fornicationis intenditur, diximus n. 8. Ex dictis infertur, idem dicendum eſſe de aſpectibus verbiſque turpibus, inter conjuges abſque pollutionis periculo. Nunquam enim ſunt peccata mortalia, ſed erunt venialia, ſi ad voluptatem; licita aut, ſi ad provocandum ſe ad copulam referantur. Sicut de tactibus diximus. Quia eadem eſt ratio. & matrimon. omnes has delicias excuſat a mortali.

13 Quid autem dicendum ſit de tactu, quo conjux membrum virile in os feminæ, aut in vas præpoſterum intromittit, vel ſuperficiem illius vaſis tangit, non animo ibi conſummandi, dixi diſp. 17. num. 4. & 5. De tactibus autem in loco publico, ſeu coram aliis, dixi diſp. 15. nu. 2. in loco autem ſacro, dixi eadem diſp. 15. n. 15. & ſeq.

14 Major autem difficultas eſt, ſi conjugatus ſe ipſum tangat propter voluptatem captandam abſque pollutionis periculo. Nam aliqui cenſent eſſe culpam lethalem, quoniam naturam tactibus provocare, nec eſt actus conjugalis, cum minime fiat cum conjuge, nec ad finem conjugii refertur: ut ſupponimus, non enim fit quo conjux ad copulam ſe pręparet. Quare nullo modo reduci poteſt ad conjugium, ut a mortali excuſetur. Citantur pro hac ſent. *D. Ant. Silv. Margarita conf. relati n. 8.* ſed non loquuntur expreſſe de tactu, quo ſe ipſum conjux tangit, ſed de omnibus tactibus inter conjuges, quos generaliter mortales reputant, quoties non ordinantur ad copulam, ut retuli n. 11. & reprobavi n. 12. At expreſſe eam tenent *Armill. v. Impudicitia, n. 3. Vaſq. 1. 2. qu. 74. ar. 8. diſp.* 113. *n.* 4. Qui addit non eſſe mortale, quando fieret etiam abſente conjuge, intentione coeundi cum illo, qui proxime venturus ſperatur. Imo ſi ad finem generationis referatur, nec eſſe culpam venialem.

15 Ceterum probabilius mihi eſt, ſolum eſſe culpam venialem. Quia cum tactus ille ſuapte natura indifferens ſit ad copulam conjugalem vel illicitam, poſſitque ad unam vel alteram referri, nec ex intentione tangentis ſe a ſua natura, & ab hoc ordine diſtrahatur, ut ad copulam illicitam ordinetur, non eſt cur de culpa lethali damnandus ſit. Sicut nec moroſa delectatio copulæ cum conjuge abſente tribuitur culpæ mortali: eo quod referri poteſt ſuapte natura ad copulam conjugalem, licet actu non dirigatur. Nec dici poteſt eum tactum non eſſe actum conjugis, quia non habetur cum conjuge. Quoniam ut actus conjugis ſit, non deſideratur eum cum conjuge fieri, ſed ſatis eſt ut ad conjugium præſens ſuapte natura ordinari poſſit, nec ab hac natura ex intentione illo utentis deviet. Et favent huic ſent. *Palud. 4. d. 31. q. 3 ar. 2. nu. 17. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 87. fine*, ubi dicunt eſſe mortalem hujuſmodi tactum, quando adeſt pollutionis periculum: & ita extra hunc caſum non videntur damnare de mortali.

16 Utrum autem ſit mortale, quando vir ſe tangit, ut citius femina ſemen effundat, dixi diſp. 17. nu. 10. Et quid quando extracto membro virili, femina, quæ viro ſeminante nondum ſeminarat, ſe tangit, quo ſeminet: dixi eadem diſp. 17. num. 11.

17 Ad argumenta reſp. Ad propoſitum n. 11. reſpondi num. 7. in ſol. ad 1. Ad propoſitum n. 15. conſtat ex dictis n. 16.

18 Quæſtio III. An liceant delectationes moroſæ, & tactus conjugatis, quando ob aliquod impedimentum eis non licet actum conjugalem exercere? *Abulenſ. c. 5. Matth. q.* 197 docet generaliter tactus inter conjuges eſſe mortales, quando actus conjugalis propter magnam deordinationem talis eſſet. Et poteſt probari. Quoniam talis eſt delectatio, quale objectum (ut probavimus n. 3.) at tunc acceſſus ad conjugem eſt culpa lethalis.

19 Alii autem docti neoterici cenſent licere conjugibus delectationem partis ſenſitivæ de coitu cogitato captam, etiamſi illis nec petere nec reddere liceat, quia mutuo conſenſu votum caſtitatis emiſere: vel quia alter legitime profeſſus eſt, ad ſacroſve ordines promotus. De tactibus autem diſtinguunt, dicuntque minime licere tactus verendorum, partiumve illis vicinarum, niſi dum conjugi licet reddere, & exiguntur. Quia ii tactus reputantur, ut unum moraliter cum uſu matrimonii. At ceteros tactus ajunt licere. Ducuntur, quoniam cum adhuc permaneat matrimonium, & copula ſit ſolum illicita ob extrinſecam voti circumſtantiam, non ſubinde illicita erunt delectatio & tactus. Hac enim ratione hæc licent, interdicta copula ob circumſtantiam periculi morbi, aut abortus extrinſecam. Secundo, quia ob id licet delectari in carnium eſu in quadrageſima, cum nunquam liceat in re ab intrinſeco mala. Quia ab illo, utpote qui ratione ſolius extrinſecę prohibitionis Eccleſiæ eſt illicitus, poteſt præſcindi malitia: ab hac vero, cum ab intrinſeca rei natura malitiam habeat, ſeparare nequit. At uſus illius matrimon. non eſt ab intrinſeco prohibitus, ſed ratione circumſtantiæ extrinſecæ voti; Ergo licebit in illo delectari.

20 Prima tamen concluſio ſit. Quoties copula interdicitur conjugibus ob circumſtantiam extrinſecam, quæ per ſe neutrum conjugem arcet ab uſu matr. licita eſt talis delectatio appetitus ſenſitivi de copula cogitata, ut præſenti: liciti ſunt etiam tactus, eo pacto quo liciti eſſent, ſecluſo eo impedimento. Ut ſi illicita ſit copula propter notabile ſalutis abortuſve periculum, aut ſimilem cauſam. Prob. quia tunc ſuapte natura eſt licitus uſus matr. & ab extrinſeco prohibetur ratione charitatis aut pietatis, obligantium præcaveri damnum conjugis aut prolis: his autem virtutibus non adverſantur ea delectatio & tactus. Quandoquidem ex illis ſimile damnum non time-